Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
14 K
23

DE SARTIS
TECTIS SACROSANCTAE

ecclesiæ resarciendis, Liber unus, continēs articulos amplius quadringentos, in futuro propediem generali cōcilio tractandos,

Autore Arnoldo Gual à Longa Platea,

qui istum qualemcunq; librum pietate uictus edidit, restituit, absoluit, emisit.

Sub ecclesiæ sacrosanctæ ac piorum omnium censura.

☞ *Obsequium amicos, ueritas odium parit.*

¶ *Excudebat wilhelmus Fabricius à Valled[illegible]s, Anno uirginei partus*

M. D. XL.

DE SARTIS TECTIS SACROSANctæ ecclesiæ resarciendis. Est em̃, est iam dudum in animo Pauli pontificis maximi, illam, quanuis iam quasi ruentem, fulcire: illam ab erroribus repurgare, ab illa hæreses tollere, atq; morosos onocentauri, mores & scandala auferre, atq; suam Christiq; spõsam (quando aliqñ tandẽ uel iam tẽpus aderit) abs tyrannide & omnibus iniurijs defendere. Quod deo propicio, fiet in generali synodo iamp ridẽ indicta, inibi quoq; discutiendis: hisce quadringentis articulis, sacrosancto œcumenico maximoq; comitio materiam præparantibus. Cæterum quando hic ad ecclesiam referuntur omnia, nemo sit tam improbus, tam deniq; importunus, ut illius sibi arroget iudiciũ. neve iuxta Pauli sententiam, ante tempus iudicet: sed ut ait ille, interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi.

1.Co. 4.

Deut. 14

PATERE ET ABSTINE.

Ancora sacra deus, alioqui res hęc desperata esset.

DE SARTIS TECTIS

ſacroſanctæ eccleſiæ inſtaurandis, nunc quidem per hæreticos, per cortiſanos, perq́ tyrannos impuro ſpiritu impulſore, admodũ corruptis, ſed in hiſce inſtantibus ſacris comitijs olim ſpiritu ſancto præſide ſarciendis: quod factum fuerit, ſi uel hi articuli in hoc generali Concilio, adeò neceſſario, diſcuſſi fuerint.

ORATIO MATRIS ECCLESIAE

pro filijs ſuis ad Deum Opt. Max. qui regit, docet, illuſtrat eccleſiam, ut conſtat per Articulum, inter ſubſequentes, octauum.

O deus unus, itemq́ ter optime maxime, longè
Monas triasq́ ſacerrima:
O pater omnipotens, ô IESV, ô ſpiritus alme,
Iam uindica regnum tuum.
Ne nos linque pater, cedens precibus uel eorum
Quos adoptaſti filios.
Ni nos Chriſte iuues, miſeri ſpem abiecim'. at tu
Opem feras, & uicimus.
Neve calix tantus ſit IESV ſanguinis ab re,
Abs te profuſus in cruce.
O lux alme deus, animis illabere noſtris:
Igniq́ ſancti ſpiritus
Frigida corda tuo flammeſcant, dura liqueſcant,
Obſcura ſerenes pectora.
Atque domi noſtræ nos interuiſe ſubinde
Donis illis ſeptem tuis.
Affectus animi tu comprime: dirige mentem,
Animæq́ uires inſtrue.

AD DIVOS FRATRES CAROLVM ET FERDINANDVM CAESARES, NECNON AD REVERENDISS. D. D. CORNELIVM A BERGIS EPISCOPVM LEODIENSEM, ALIOS'QVE PRINCIPES GERMANIAE.

QVANDO nil æque ſatanas odiat, ac generalẽ ſynodũ, nempe in qua regno dei eijcitur, quæ denique ita hodie eſt neceſſaria, ut cum maxime: nonnullos ille malignus ſubornauit, qui per hos centum & duodediginti annos impedirent eam: horum equidem malitijs obuiare ſtudui. Qui (ut & põtifex maximus Hadrianus, & Pe-

trus de Alliaco cardinalis Cameracensis, & Laurentius presbyter cardinalis præstare conati sunt) aliquot inquam axiomata selegerim, frigidam, ut aiunt, suffundens, ut aliquando tandem cogatur synodus, ab omnibus *tentata sane quàm maxime, ut tot tantaq; mala ab ecclesia CHRISTI semel auferantur, ut ea repurgata, concordia sarciatur: ut omni hæresi runcata, tum ecclesiasticus, tum ciuilis ordo, ut olim erat, reponatur: ut sarta tecta diuini templi instaurentur, ut deniq; cortisanorum & oppressorum ecclesiæ, tandẽ cesset impietas & improbitas: sed pax sit & tranquillitas ecclesiæ, quam decet esse quietam. Quod fiet indubie, si nostri hi articuli per orbem nostrum publicentur. Qui uel intra semestre tempus sacro indicto comitio, absoluti fuerint, dum hisce instructi primores ecclesiæ, spiritu diuino afflati, eosdem discussuri cõuenerint. Cæterum ne forte claudus riserit loripedem, nonnihil hic adiecerim, quod ad disciplinam quoque ciuilem, & ad prophanos pertineat, semper ecclesiasticis oppido quàm infestos, in horum acutius, atque

* optata

in sua, uitia cernentes. Et quanuis ipsi quoq; sint lippi, tamē indagare conantur qui fuerint apud inferos terniones: &, ut ait Maro, Tergeminamq; Hecaten, tria uirginis ora Dianæ, colātes interim culicē, & glutientes camelum, festucam in aliorum oculis uidentes, in suis uero ne trabē quidem. Hanc igitur nostram lucubratiunculam Carolus ille Cæsar, & qui secundum eum principem locum tenet rex inclytus Ferdinandus, nosterq; reuerēdissimus episcopus D. Cornelius à Bergis, sibi dedicatam uindicent, illam, qualisqualis fuerit, æqui boniq; faciētes: meamq; libertatem pro sua clementia haud mali consulentes, quin potius & hunc suum ipsorum libellum & eius autorem ab iniuria defendentes. Et ecquis non ueneretur hos, quorum maxima semper fama fuit religionis, pietatis & iustitiæ apud omēs gētes? ad quos deniq; uelut ad ancoram sacram confugiunt uniuersi, atq; adeò tota ecclesia? Quæ sic hodie desolata, cum uestro, tum dei nititur præsidio. Quæ ni reformetur, ni generale fiat concilium: actum est de imperio, atq; adeò de ipsa ecclesia, Irasq; cæle-

ARTICVLO RVM QVADRINGENTORVM IN OECVMENICA SYNODO IAMIAM NECESSARIA, VO LENTIQVE DEO FVTV RA PROPONENDO- RVM, PROOE MIVM.

¶ Quàm sit necessaria gñalis synodus.

SARTA ac tecta domus dei instauranda, id passim & diuina testãtur eloquia, & ipsa docet ratio. Si em̃ reipub. interest, sartas tectas ędes esse, & quod cadere cœpit, fulcire, & quod corruptum est, resarcire, & ubiq; terrarum sarta tecta tueri: alioq fore breui, ut totus orbis labefactetur: quanto magis necessum fuerit, ipsam IESV Christi ecclesiam instaurare, quæ iam quasi ruere cœpit? Et quanuis hostis humani generis, regno dei (quod idololatria inuasum, longe lateq; tenebat) à Christo eiectus fuerit, quotidie tamen ipse non cessat per impios illud iterum inuadere, malam zizaniã spargere, impietates & tyrannides moliri, uti uel sic piam Iesu Christi eccle-

siā oppugnet, si tandē eā expugnare queat. Hinc & ab ipso deo, & à maiorib⁹ nostris institutū est, ut tantæ eius malitiæ obuietur, ut omnia scandala à Christiana repub. tollantur. Quod indubie fieri solet semper in maximo ecclesię comitio. Et qd eo pulchrius? quid utilius? quid deniq; honestius, magisve necessarium? Ipsaq; militans Christi ecclesia, instar habet triumphantis, & ad huius exemplar illa constructa est, ut hæc effusius tradidit sacer ille Dionysius, q ex Areopagita factus est Paulo coapostolus, & Christi martyr insignis. Vt ergo nulla sunt illic scandala, ita uel hinc, si q̃ ingruerint, auferantur oportet. Hinc Christus ille rex ad summum clamans sacerdotem & ecclesię primo-
4.Re.12 res: Cur, inquit, sarta tecta non instauratis templi?
2.Pa.24 Quid sic mea regna adeò corrupta labuntur? Cur domū meam septē columnis extructam, nō reparatis? Quō resarcitis nō interpolate? Ego quidem firmissima iecerim fundamenta, meam deiq; ecclesiam super solidissimā petram ędificauerim, sponsamq; meam ex latere meo formatam & sanguine partam consecrauerim. At nunc ut hostis insanit? ut in eam impingit hæreticus? ut Simoniacus debacchatur? ut sæua furit tyrannis? At uel iamiam sat insanitum fuerit, & mihi commiserescite. In illa itaq; cælesti Hierosolyma, in illa sancta dei ciuitate perennis est concordia, nullaq; sunt ibi schismata, sed pulcherrimo ordine stant uniuersa, & ppetua pace florent omnia. Vt ergo ille draco dux factionum & doctor erroris ab illo deturbatus est: ita hoc quoq; cęlorum regno eijciatur oportet: ut sacro indicto comitio, pax floreat, & mala tollan

tur omnia ab illo ſcelere illata. Hinc pia mater ecclesia ſemper filiorum ſuorum ſolicita, uſq; ſtudet hiſce malis obuiare, pacē habere, ſummo dei templo montiq; ſancto, quoad fieri poteſt, ſimilem ſeſe reddere: deniq; rempub. Chriſtianam ornatiſſimo magiſtratus ordine compoſitā, ſtabili concordia conſeruare. Hinc item multis iam ſeculis obſeruatū eſt, ut pia Chriſti eccleſia, maximo & ſanctiſſimo indicto comitio, tota Chriſtiana reſpub. reformetur, ut ne filij eius ſic inuicem diſſideant. ſed ſi inter eos non conueniat, (ut nemo ſuo libēter cedit ingenio) ipſa inter eos iudicet, q̄ uel ſic unitas fidei ſeruetur. Vnus eſt enim deus, inquit Apoſtolus, una fides, unum baptiſma, unaq; eccleſia: p quam (ut eſt apud eundem) principibus etiā & uirtutibus cæleſtibus diuina innoteſcant myſteria, & ſacramenta dei reuelantur: quòd in hoc cælorū regno Chriſtus ipſe ut ſponſus eccleſiæ præſideat, unice cupiens, hoc ſuum regnum concors ut ſit et ſtabile. Conſiderans itaq; eccleſia ſui ſponſi uerba, Vbi duo tresve congregantur in nomine Chriſti, ibi & ipſum Chriſtū, ut caput eccleſiæ, adeſſe præſentem: ipſa, inquam, indicta generali ſynodo, diſperſos filios ſolet congregare, illisq; cōſilium dare, & ſpiritu ſancto dictante leges præſcribere, ne iam tunc amplius à uia ueritatis aberrent: neve ille inimicus atrox in agro Chriſti zizaniā ſeminet, neve qua falſa ueris ſcripturꝫ ingerat: neve ulla ſint ſchiſmata, ullave diſſidia inter filios eccleſiæ: neve hi denique dura tyrannide adeò deprimantur, ſed ut Chriſtiana reſpub. quieta permanens, ipſa magis ac magis pace floreat, ut filij eius ad Chriſtum

Phil. 3.

Mat. 18.

iugiter adhærescant, unumq́ʒ sint in ipso per ec
siam. Quisquis enim cum illa nō fuerit, ut sanct
ait Ignatius, cum Christo non est. vt enim Ch
stus Iesus unum est cum deo patre & suo patri
spiritu: ita & ipsa ecclesia una est in eodem Ch
sto Iesu, qui ut caput ecclesiæ suo corpore illā i
corporat, & sanguine uiuificat, ut eius filij mor
ti & morigeri unum sint in eo, in ipso uiuētes p
petuum, qui eos sanguine redemptos, in unam c
egit ecclesiam. Qui licet post triūphatum huma
ni generis hostem cælos cōscenderit, amplissim
cum spolijs, maximo cum triumpho rediens ab i
feris ad superos usq́ʒ, ipse tamē in sui patris dextr
confidens, semper memor est nostri, semper cū su
manet ecclesia, sponsamq́ʒ suam sanguine quæsi
tam, perpetua charitate amplectitur, & pro illa pu-
gnans, hostem in suo regno grassantē, hinc detur-
bat. Et quisquam etiam nunc fuerit, qui credat il
lam à sponso suo derelictū iri? At qui fieri potest,
ut amicam suam adeò charam, adeò formosam
Mat. 28. Christus deserat, quam & unice diligit ac amat, ut
recte dixerit ipse: Ecce ego uobiscum sum omni-
Ioh. 14. bus diebus usq́ʒ ad consummationem seculi, Ne-
q́ʒ relinquam uos orphanos? Quid, quod & suum &
sui patris spiritum de cæli cælo Christus ablega-
uit in terram, qui cum ecclesia maneat æternum,
qui etiam illi suggerat quicquid ipse Christus di-
xerit? IESVS ergo noster ecclesiam sancto flami-
ne imbutam, ipse est, inquā, qui eam docet, regit,
illustrat, id tamen nusquam magis quàm ubi tota
hæc eadem conuenerit: ut uel sic tandem obscura
illucescant, falsa refellantur, dissensiones compo-

nantur,& cuncta deniq; mala hinc ad inferos usq; cum hoste ablegentur. Neq; non solum à tempore apostolorum usq; hacten⁹ coacta est synodus, sed tempore quoq; legis Mosaicæ, quo deus ipse sacrum instituit comitiũ. Noluit enim deus ter optimus maximus, suam legem deprauatum iri. Nouit ipse diuersa hominum ingenia, nouit & hostis insidias. Noluit enim suam legem mortalibus præscriptam, & lapideis in tabulis suo digito perscriptam, uiolatũ iri, illamve quisq; pro suo iure suaq; libidine interpretetur, dum unus aliquis tanquam nasutulus, propriæ innititur prudentiæ. Verum si ambigua obscurave quæstio oriretur, eã deus uoluit à summo sacerdote & ab uniuersa ecclesia definiẽdam. Vnde post multas leges populo suo p̃finitas, dixit ipse deus ad illum & ad Moysen: Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinẽ, causam & causam, lepram & lepram, & iudicium intra portas tuas uideris uariari, surge, inquit, & ascende locum quem elegerit domin⁹ deus tuus, uenies'q; ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quæres'q; ab eis, qui indicabunt tibi iudicij ueritatem: & facies quodcunq; dixerint qui præsunt loco quem elegerit dominus, & docuerint te iuxta legem eius: sequeris'q; sententiã eorũ, nec declinabis ad dextram, neq; ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat domino deo tuo, & decreto iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israel. cunctus'q; populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia. Quod Deu.17.

apostoli considerantes, & ipsi post ascensionem Christi ad cælos, post missum spiritũ sanctum in terras, cœperunt indicere comitia, prȩsertim cum non minima seditione facta de circuncisione, Paulus & Barnabas cum omni populo uenere Hierosolymã: & ab ecclesia hæc quæstio finita fuit. sanctusq; Petrus, q de Roma eiusce rei gratia eò uersum sese ꝓruperat, ꝑses in hoc maxĩo comitio fuit. primusq; (ut primas tenebat) suã dixit sententiam, post quẽ perorauit & Iacobus frater domini, atq; ius populo dixit. Atq; mox exarata epistola,
Act. 15. missa est ad certas prouincias, quæ auspicatur hoc modo: APOSTOLI & seniores fratres, his q sunt Antiochiæ & Syriæ & Ciliciæ, fratribus ex gentibus salutem: Quoniam audiuimus &c. Visum est enim spiritui sancto & nobis, nihil ultra imponere uobis oneris, quàm hæc necessaria, ut abstineatis uos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione: à qbus custodientes uos, bene agetis. Valete. Qua lecta epistola, gauisi & cõsolati sunt om̃es. Ex qbus facile est uidere, ut spiritu sancto dictãte leges ecclesia præscribat, qui repræsentent illam, ut ad eam referenda sint omnia, ut deniq; cessantibus malis consoletur ecclesia. Quàm ergo necessarium est generale concilium, in quo omnes dissensiones ecclesiæ componuntur? Quod nimirum æquè ac euangelium obseruandum est, quod primum quidem per apostolos & seniores ecclesiæ, initum est dissidij tollendi gratia, quod fit ecclesia iudice. Et quisquam etiãnum fuerit, qui obstrepat ecclesiæ? Deinde Nicena synodus Iulio pontifice & Constantino Cæsa

re coacta est, in qua factũ est symbolum quod inter sacra canitur, factum contra hęreticos, & superadditum apostolorum symbolo, quod erat secretissimum, instar habens tesseræ symbolive bellici, quo hostis à commilitõe, & fidelis ab infideli discernitur. Quod ideo etiam nunc in silentio legit. Et hoc primum quidem post apostolica comitia. Alterum uero concilium Constantinopoli habitũ est propter Macedonium huius urbis episcopum. Tertia autem synodus celebrata est Ephesi propter impium Nestorium. Quarta uero synodus Chalcedonensis, Eutychen hæreticum pessimum reprobauit. Sic alia atq; alia multa ꝓ ratione temporum habita sunt comitia, cum una aliqua hæresis obreperet in ecclesiã, ut errores & scandala tollerentur, & in medium consuleretur, & animo pręsenti scrutarẽtur omnia: uti & Romani olim fecere, quod in rem esset reipublicæ, acturi. Et horum comitiorum alia calata, alia curiata, alia centuriata, alia tributa dicebantur. Fiebantq; cum populi suffragio, ut fecerat S. ille Cyprianus episcopus Carthaginensis in synodo sua, in qua cum centum essent episcopi, eove circiter, singuli ex nũero suam dicebant sentẽtiam, idq; ingenue, ut est apud Cyprianum uidere, ueram tradentes formam habendæ synodi. Si ergo de singulis rebus agendis, de priuatis magistratibusq; audiẽdis, edita est lex à gentibus, quid obsecro facient Christiani? At eq dem operæpretium duxerim, citare legem in lege duodecim tabularum hoc modo perscriptã. Promulgata proposita in ęrario, cognita agũto. Nec plus quàm semel de singulis rebus cõsulunto. Rem

populum docento, doceri à magiſtratibus priuatisq́ patiuntor. Priuilegia ne arroganto. De capite ciuis, niſi per maximum comitiũ, olloſq́ q̃s cenſores in partibus populi locaſſint, ne ferunto. Maximum autem comitium centuriatim dici, M. Ci-
1530 cero pro P. Seſtio atteſtatur, quale ſuperiorib' annis habitum eſt Auguſtæ Vindelicorũ, ubi D. Carolus & Ferdinandus Cæſares, multa pro religione Chriſtiana uerſarũt. idq́ in præſentia Legati ſedis apoſtolicæ, atq́ Erardi Leodienſis epiſcopi et principis optimi maximi, atq́ aliorũ multorũ heroum atq́ procerum. Conuenitq́ inter omnes id temporis, ut & Hadrianus põtifex decreuerat, indicendum comitium generale, quo indubie nihil eſt melius, ſanctius, ſalubrius: imò quod ita hodie neceſſum eſt fieri, ut cum maxime. At adeò pium, adeò ſanctum inſtitutum, impij & Simoniaci cortiſani ſibi fortè timentes, impedire conantur. O im pietatem maximam, ò uæſanam dementiam, rem admodum piam pariter & neceſſariam, uelle intercipere, uelle reniti deo, omnia commiſceri, oĩa perturbarier, ne tanta mala, tantaq́ ſcandala, qualia non fuerũt à tempore recentis eccleſiæ, uel ſemel auferãtur: & id quidem nullam aliam ob cauſam, quàm ut illud impium & peſtilens cortiſanorum uulgus, in piam Chriſti eccleſiam graſſetur licentius: nil aliud quærentes quàm nummos corrogare, quàm Simoniæ ſuis illis malis inuẽtis prætextum facere, in omni luxu & faſtu uiuere, & cõplura ambire ſacerdotia, quibus tamẽ auariſſimũ ſaccum adimplere nequeunt. Adeò hoc uulgus inſatiabile furit, adeò hæc monſtra inſaniunt. Quid

quod ipsi sunt omnium malorum lerna,& (ut palam loquuntur homines) omnium causa malorũ? A quibus etiam occasione arrepta, tum hæretici, tum tyranni, magis & magis debacchantur indies. Deniq; uæsani cortisani id unum pontifici falsò persuadent, ne generalis fiat synodus, cui à tempore Constantiensis concilij impedimento fuere, q̃uis ibi sancitum fuerit, ut quoquo decennio cogeretur synodus, ut & hoc pontifex maximus adiuratus ecclesiæ iurat. At proh dolor, interim undecies decem anni & eo amplius transierunt, nullaq; sunt habita sacra comitia. hinc tot cataclysmi, tot bella horrida bella. hinc interim tot iræ cælestes, & omnis uis maior & theomenia: hinc labes, pestis, fames, omnisq; lues pessima: & ne quidem etiam nunc finis. imò mala omnia magis indies incrudescunt. Et quid dicam? Nisi concordiæ ecclesia restituatur, ni sarta tecta domus dei admodũ corrupta sarciant, quod fieri solet in hisce sacris comitijs, actum est de Christiana repub. ut hoc quoq; multi uiri sancti iam breui sibi reuelatum à deo perhibent. Proh pudor pudor, si tamen est ullus uspiam pudor, olim gentes conuẽtum facere propter res publicas & priuatas bñ agendas. at apud Christianos nullus fit hodie conuẽtus principũ, q̃ ad emulgendam pecuniam. Non hodie reipublicæ, & ne quidem ecclesiæ saluti consulitur. Adeò nunc omnes quę sua sunt, quærunt, non quæ Iesu Christi. Nec cuiquam res ista cordi est. sed dormiunt omnes, quanuis etiam à deo tot prodigijs nostra hac tempestate uisis excitati. Deum immortalem, quot à tempore Constãtiensis synodi crepse-

runt hæreses? quot hæreticorũ sectæ? Isti sunt acephali, hi Lutherani, isti euangelici, alij apostolici, alij anabaptistæ, alij Iudæi. Et præterea, quot hodie cortisanorum inuenta, quot tyrannides, ad extorquendam à subditis pecuniam, ad opprimendam ecclesiam? Cuius etiam iurisdictionem à deo datam, quidam auferre machinantur: uti sic & ecclesia pereat, & impij magis grassentur. Quot interim rapinæ? quot ecclesiarum ruinæ? Vt interim hanc ecclesiam Turca ferox cõtra deum bella gerens corrupit? Nec mirum profectò, si tot mala deus creet in terra, uti uel sic aliquando tandem coacta synodo sua reformetur ecclesia, & concordia sarciatur. Cæterum si apostoli & seniores ecclesię tantum propter circũcisionem tollendam uel nõ,
Act. 15. maximum indixere comitium, si propter unam aliquam hæresim, grassantemve tyrannidẽ, tot olim sint facti cõuentus, quidnã (mortales, cedo) fiet hodie, ubi tanta sunt mala, ut ne illa quidem uerbis assequar? Et quidem multis ante seculis admodũ calamitosa fuere secula. At nihil ad nostrum hoc. Nunquã enim aliàs tot hæreses simul in unam sentinam deriuatæ, nunquam tot cortisanorum mala inuenta, nunquam tot impietates. O turbulenta tempora. Omia diffidijs plena sunt, omia plena tumultus. Iam nunc uidere licet, quàm sint uariæ, frequentes, & teterrimæ scelerũ species. Deum immortalem, ut nunc longe lateq; grassatur tyrannidis inclementia? Quàm sunt dominis subiecti rebelles? quot immorigeri filij ecclesiæ? E diuerso q̃ sunt & terris & ecclesijs præfecti crudeles, posthabitis etiam honore, fama, & dignitatis nomine, at

que adeò contemptis ipsis superis? Atat, quot nūc hæreses? quot dira inuenta malorum? ut nunc fu rit inuidia? ut sæuit auaritia? ut in omni luxu uiuūt homines? Quot item fastuosi, pleni inuidiæ, ingra ti & immorigeri? Quot hodie sunt periuria? quot uiolatæ pacis fœdera, cædes, rixæ, libidines, ince-stus, flagitia, proditiones, factiones, tumultus, ciui lia bella? Retinctores seu anabaptistæ qui iamdu-dum Monasterij fuerunt arctissima obsidione cin-cti, ut alienas possessiōes inuadūt, & ꝑtextu euan-gelij sacerdotum facultates diripere conātur? Sunt sunt qui imperia principibus abrogāt. Atat quot hodie sunt impij nescij fœderis, sacramento firma ti, maledici, malefici, uenefici, blasphemi, imposto res? Verba me deficiunt. Quot pseudochristiani? q̄t pseudoprophetę? vt miseris illudit diabolus? quot desertores pietatis, calumniatores? quot deniq; op pressores ecclesiæ? & quidē respiciente ad hæc ne mine, quasi nullius referret. Quin ipsi primores ec clesiæ dormitant, licet hæc longe magis opprima tur hodie, atque olim apud Pharaonem erat uide re. Quin hodie fiunt conciliabula principum, tan-tum ut ecclesia deprimatur. Quid, quod sunt q̄bus tanta rapiendæ pecuniæ cupido incessit, ut uarijs bellorum causis commentis, simulata bella gerāt, uti sic cum hoste colludentes, à miseris extorque-ant pecuniam, spolia hincinde diuidētes, subditos suos (in quos magis ac in hostem desæuiunt) deꝑ-dantes? Hoccine seculum? Viuitur hoc pacto pro-fectò. Et rustic⁹ ad uiuū usq; deglubitur, calamito sis addit calamitas, æraria depeculant, delubra di ripiunt, aræ & xenodochia spoliant. Quid multis?

Ius est in armis, nunc ius iniuria uincit.
Sic uolo, sic iubeo, stat pro ratione uoluntas.
Victa iacet pietas, & pudor omnis abest.
Religio contempta iacet, reuerentia nulla est.
Ennius Pellitur è medio sapientia, ui geritur res.

En quot hodie sunt in ecclesia Christi onagri mitrati, qui non solum suum non faciunt officium, sed etiam illos iamdudũ pudet atq; piget? Et hodie arat cum boue & asino, & sanctuarium dei hæreditario iure possidetur, & sacra distrahuntur. Verendum uerendum, ne ira cælestis tandem in omnem terram ingruat. Ingruet autem, imò iamdudum irruit in nos diuina uindicta. At proh dolor nemo compungitur, nemo est qui ad ista uel semel aspiciat. Quinimò quorum esset tot obuiare malis, illi sunt qui plus satis insaniunt. Et nunc malis omnibus mundus oppletus est. effractum dicas infernum, & homines à furijs profectos, qui se aureum ramũ nactos esse putant. Quin ipsam Proserpinam cum omnibus furijs ex imis tartaris ad superos deuolasse. Nunc concussa pinus, angues decussi, omnesq; diræ emissę per uniuersas perua serunt terrarum plagas, mundiq; totius tenent climata. Vel cõstans semper Germania, unius furentis monachi, & eiusdem apostatæ, fascinata præstigijs, propè à Christiana pietate desciuit. Tum aũt quãto sceleratius ibi uiuitur, atq; olim apud ethnicos? En illic templa demoliuntur, Christi hęreditas expilatur, monachi profligantur, vestales uirgines infestantur: & (mirum hoc auditu) en monacha monacho nubit. Quin patrijs abiectis legib⁹, quisq; nunc uiuit pro iure suo. Infandum, uiolan-

tur ſacramenta, & ſacer fons eluditur, confeſſio te mnitur, matrimonium ſugillatur & adulteratur, & in euchariſtiam longe ſacroſanctam illuditur. Prætereа diuos impij temnunt, & uirginem matrē blaſphemant. Quin Chriſtum eius filium ab eccleſia deijciunt. Atq; hæc om̃ia ſub prætextu chriſtianæ libertatis, ſub uelamine pietatis. Siquidem (ut ille ait) ubi uehementer faſtuoſa uanitatis uerba ſonuerunt, ineſcant homines: & q in errore uerſantur, dum illis libertatem pollicentur, ipſi quoq; ſunt ſerui corruptionis. O tempora, ô mores. Illanccine libertatem Chriſtianam dixeris, licentius ſcortarier, ſacra diripere, nec patrijs legibus parére, omni tēpore ut lubet, eſſe, bibere? nullam obedientiam, nullum ordinem, nullam deniq; religionem ſeruare? Scilicet hæc uita euãgelici, auſi eccleſiæ Chriſti fratrem uocare ſe, ſed ad eius euangelium haud uiuentis, imò hoc prorſus inficias euntis, nil facientis eorum quæ inibi perſcripta ſunt. At quàm gemendum & flendum eſt illud, quod nunc & analphabetus & rudis aſinus, & agreſtis arator, & loquacula muliercula, & ſtulta anicula de literis cæleſtibus contendunt, & quidem adeò mordicus de arcanis ſacræ ſcripturæ digladiantes, ut ceſſerint nemini, quanuis docto theologo: ita peruicaciter ſuas opiniões affirmant. At ſi duo de una aliqua re concertent, unius arbitri ſtatur ſententiæ: & tu etiam nunc uniuerſæ eccleſiæ contradicis? Vtri ergo potius credam? Tibi ne qui diabolo autore loqueris, an ſacroſanctæ eccleſiæ, quæ dictante ſpirituſancto leges pias exprimit, & ambigua dirimit? Proin qui cõtrà ſentit atq; eccleſia, hic

plane hæreticus fuerit. Hinc ipsa magis ingemiscit, quod nunc inter impios iudicare non potest, talia secũ uersans: Quousque tandem filij mei tumultuabuntur? Quousque me miseram persequentur? Vt nunc omnes me deserunt? ut me Christi sponsam funesti commaculant? ut sunt omnia turbulenta?
Isa.1. Filios enutriui, ipsi autem spreuerunt me. Angustiæ mihi sunt undique, quód filij mei tam perdite pereant. Nũc Iesus meus positus est in ruinam, & anceps gladius pertransit animam meam. Omne
Ibid. cor mœrens, & om̃e caput languidum. Et præter hæc sceptrum meum ablatũ est, nec quispiam meum curat iudicium. Quod si fecero, salua res est, & omnia tranquilla fuerint. Et alia multa quę hic pijs cogitanda relinquo. Et quisquam etiamnum est, qui tergiuersetur non fore necessarium generale concilium? Haud est profecto quod prætendat cortisanus impius, Omnia bene ordinata sunt, quid opus est concilio? alia atque alia multa causatus & cauillatus. Recte quidem, modó seruentur omnia, modó & tua & tyrannorum mala in primis abrogentur, quandoquidem hæreticos facile erit corripere, quos etiam pudebit olim malitiæ suæ, quód sic elusi fuerint & fascinati ab illo præstigiatore pessimo. At tu desperatus es propter Simoniam, qui etiam in extrema synodo moribus tuis relictus fueris. At amplius deus tua nõ feret flagitia, utpote á nemine ferenda. Et non solũ es lerna malorum omniũ, sed & fontem conspurcas bonorum uniuersorum. Quapropter aliquando tandem synodus cogatur necessum est, ut tandẽ pax sit ecclesiæ, ut cessent omnia scandala, quibus ob-

uiant sequentes articuli. Cæterum si quis impieta tis adsertor est, in rem præsentem ueniat. Nos ani mo p̄senti, deo ꝓpicio & ecclesia iudice, uerū uin dicabimus, ius & pietatē ab iniuria defensuri.

De iurisdictione ecclesiastica. Articulus primus.

PEnes sacrosanctam Iesu Christi ecclesiam, pe nes item pontificem maximum, unicū eccle- siæ caput, atq; adeò Christi uicarium, om̄em esse & iurisdictionem, & merū mixtumq; imperiū, & summam totius magistratus. Atq; proin inimi- cos esse ecclesię, qui ab ea iurisdictionē machinan tur auferre. Et q(malum) sine ea filios suos eccle- sia emendauerit atq; correxerit? Quare ecclesiasti cam iurisdictionem non uiolatum iri.

De autoritate pontificis maximi. Articulus ij.

¶ Et q̄uis pontifex maximus uariis, molestis et importunis improborū persuasionibus impulsus, interdū errauerit, multaq; haud cōcedenda cōces- serit: sanctam tamen ecclesiam, quæ maiore atq; il le autoritate præstat, errare non posse. Vtriusq; ta men ea est autoritas, ut & solius pōtificis & eccle siæ sit interpretari scripturas. Tantū abest ut hæc iurisdictio detur hęreticis, q pro sua libidine sem- per falsò interpretati sunt literas cælestes.

De potestate pontificis maximi. Articulus iij.

¶ Ea item est potestas pontificis maximi, ut

possit & condere leges, & iusta ex causa quem lege soluere, & imperium transferre, & iurisdictionem dare, & cælo terraq; omnia ligare & soluere, claui tamen ecclesiæ non errante.

De autoritate ecclesiæ. Arti. iiij.

¶Impium proinde fuerit, atq; adeò uæsana dementia, iterum in dubium reuocare quod pia Christi ecclesia iuste congregata, semel definierit. Cui æquè credendū est ac Christi euāgelio. Quin nec euangelio creditum fuerit, ut cum Augustino loquamur, ni & huic illa suam autoritatem prius impartiuerit. Atq; ideo magis credendum ecclesię atq; hæretico illud semper garrienti: Hoc CHRISTVS dixit, illud scriptura cauetur, non credam? non equidem profectò, non etiam si sis angelus, ni sic Christū dixisse adstruat ecclesia. Cuius sententiæ licet refragari nemini, & ut ait Apostolus, ne quidem angelo: tātum abest ut impio credatur hæretico, falsò scripturas interpretanti, quod prorsus ei interdictum fuerit.

De ordine dignitatis ecclesiasticæ. Articulus v.

¶Stat ergo semper immobilis ab ipso Christo ædificata & firmata ecclesia, quam sponsam suam immaculatam sanguine quæsitam, noster ille Iesus nunquā deseret. In qua licet quinq; sint patriarchæ, inter illos tamē Romanus episcopus, ut Christi uicarius Petriq; successor, primas tenet. Secundum quē cardinales & episcopi maiores fuerint, tanquam cæteris apostolis succedentes. Deinde

presbyteri hosce consequuntur, LXXII discipulorum loco.

De duabus ecclesiæ clauibus. Articulus vi.

¶ Et licet hi omnes pares sint ordine, haud tamen ęq̄li iurisdictione & potestate ualent. Aliaq́ue est potestas ordinis, alia iurisdictionis, quanuis una res sit & clauis scientiæ, & potentiæ, quas non errare oportet.

De septem sacramentis, septemq́ue ordinibus. Artic. vij.

¶ Stat, inquam, immota uirgo mater ecclesia, septem extructa columnis, septēq́ue sacramentis diuinam gratiam conferētibus, à Iesu Christo nostro seruatore fundata, atque totidem ordinibus distincta, atque multa uariaq́ue pulchritudine circundata.

Vt deus ipse regit & docet ecclesiam. Articulus viij.

¶ Quin ut olim pater omnipotens Hebræū reduxit populum ab idololatria, illam synagogam gētemq́ue suam tum per angelos tum per uates erudiens: ita & Iesus Christus dei filius, recentem docuit ecclesiam, ipsam iam tum per euangeliographos & apostolos, ab hoste & hæreticorum incursu defendens atque liberās. Iam uerò illam senescentem, per patriarchas, episcopos, doctores, primoresq́ue illustrat, docet, atque gubernat. p quos spiritus ille sanctus hæreses refellit. Quo p̄side, q̄ dictatore, ecclesia & leges p̄scribit, & scripturas explicat. Heb. 1.

De ecclesiastica hierarchia. Art. ix.

¶Hoc itaq; regnum cælorum, instar habet cælestis hierarchię, & sacro Dionysio autore, ut ciuilis resp. pulcherrimo quodam magistratus ordine cõposita est: ita ecclesiastica quoq; hierarchia amplissimis ordinibus discreta est, idq; ad exemplũ mõtis sacri & ciuitatis dei, in qua sunt tres hierarchiæ, trifido cæli ordine scissę.

De actibus hierarchicis. Art. x.

¶ Treis aũt actus esse hierarchicos, dubitauerit nemo: nẽpe illuminare, purgare, perficere.

Qui repræsentent ecclesiam. Articulus xi.

¶ Quod aũt pontifex maximus & alij patriarchæ, itẽ cardinales, episcopi, presbyteri, pastores, doctores, clariq; heroes & alij primores ecclesiæ, hanc eandem repræsentent, nemo est qui non intelligat, nisi qui nihil intelligit.

Et à malis data sacramenta, conferre gratiam. Artic. xij.

¶Atq; proin non minus propterea gratiam diuinam sacramenta conferunt, characterve imprimũt, q; uel illa ministrãtes, uel sacros ordines conferentes, mali fortassis fuerint. At ecquis sine peccato fuerit? Nemo quisquã profecto.

De fortitudine ecclesiæ. Art. xiij.

¶ Et ea est fortitudo matris ecclesiæ, ut ne quidem omnium hæreticorum caterua, toto eti-

am inferno, infernisq́ furijs comitata, illam expugnauerint, quanuis item furentes, quanlibet insidias struentes, quantumlibet illam oppugnantes. Adeò semper inuicta uictrix stat ecclesia. Sicut enim (ut est apud Cyprianum) fortior est Christus zabulo, sic ipsa ecclesia fortior est ipsis antichristis & fidei desertoribus, ut cuius uindex fuerit ipse CHRISTVS.

Quî sunt de ecclesia uel non. Articulus xiiij.

¶ Deniq; licet tam boni quàm mali sint de gremio ecclesiæ, si tamen iuste baptizati in CHRISTVM credant, fidemq́ firmiter seruent, attamen & infideles & hęretici extra eam sunt. Et ideo quisquis contra ecclesiam suos errores, ne dicã insanias falsas, ut procaces sunt, procaciter & pertinaciter adserit, contrà sentiens atq; ecclesia, rectè hæreticus dicitur, & quidẽ infideli deterior.

Martinũ Lutherũ hæreticum esse longe pessimum. Articu. xv.

¶ Inter autem hæreticos, peiorem & pestilentiorem esse neminẽ, quàm Martinum Lutherũ, ut eius & dogmata, & orta inde scãdala, docent. qppe cuius insania ferme per totam remp. Christianam peruasit. Adeò eius furor pestilens indies increscit & inualescit. Cuius errores amplius sexcentos Henricus rex Anglorũ, & episcopus Roffensis, & Iohãnes Eckius & Cochlæus, multiq́ alij doctissimè confutarũt. Atq; ideo illum autorem, pariterq́ eius perfida dogmata in hoc sacro maxi-

moq; comitio damnãda fore, quin lamiam illam cum catulis suis perdendam.

De Oecolampadio. Artic. xvi.

¶ Secundum uero Lutherum, Oecolampadium maiorem esse consectaneum, q̃ nimis horrẽda & auditu indigna effutiuerit, ausus item blasphema re in sacram eucharistiam, quam nec adorandam inflatis buccis declamat, nec ibi corpus Christi ue rè, eiusve carnem secundum substantiam contine ri. Astruens præterea, panem in ueram Christi car nem non transmutari. Ac igitur istuc quoq; hoīs ab ecclesia citius disperdundum.

De Zuinglio insano hæretico. Articulus xvij.

¶ Et impium quoq; Zuinglium cum libris suis damnandum, q̃ os impudens, os prorsus infame, nonnihil in sedem apostolicã deblaterat, & in pon tificem maximũ ipse ceu irritatus crabro inuehi-tur. Qui pietatis transfuga, adeò cæcam absorpsit philautiam, uti mos est hæreticorum omnium, ut cedat nemini, quin suum ridiculum Missæ canonem, totius ecclesiæ præscripto prætulerit.

De Melanchthone. Art. xviij.

¶ Adde, licebit, istis Philippũ Melanchthonem, quem ille noster Erasmus logodædalum Lutheri uocauit. Adde, licebit, alios eiusce farinæ homi-nes, alios inquam, atque alios insanientes catulos, qui mãmas illius furentis lamiæ fellicantes, lac ui-rosissimum per omnem ferme ecclesiam euomu-

ere. Et igitur hos improbandos.

De uarijs hæreticis. Art. xix.

¶ Nec illos tolerandos hæreticos, qui iurisdictionem ab ecclesia parant diuellere, illãve ad seruitutem redigere, ecclesiasticamve libertatem auferre:

¶ Quive sacramẽta ecclesię prophanantes, illa non conferre gratiam affirmant: Artic. xx

¶ Quive oĩa dicunt esse cõmunia, & uxores esse publicas, legem duarum tabularum Mosi, in quibus ipse deus suã legem perscripserit, inficiãtes: xxi.

¶ Quive sola fide freti, quã tamen cum uerbis: tum factis inficias eunt, sese saluandos credunt: xxij.

¶ Quive in Christũ atque eius matrem uirginem, atque adeò in diuos oẽs debacchantur: xxiij.

¶ Astruẽtes item Mariã uirginem non esse uirginem, illamve in peccato conceptã, nec eam doluisse de morte filij sui, nec eam euectam sup oẽs choros angelorum: xxiiij. 25. 26. xxvij.

¶ Quive patrios ritus ac cælestes rident cæremonias: xxviij.

¶ Quive sanctorum imagines unà cum sancta cruce ab ecclesia deijciunt: xxix.

¶ Quive diuorum ossa ueneranda, non colenda garriunt, oĩbus adeò contemptis superis: xxx.

¶ Quive in Quadragesima carnes manducare licere affirmant: xxxi.

¶ Quive purgatorios ignes inficiantur: xxxij.

De libero arbitrio. Artic. xxxiij.

¶ Quive sub prætextu libertatis Christianæ, &

liberi arbitrij uelamine, sibi licere putant omnia, quive illud seruum uocāt arbitrium,& neq; se uotis deo factis, neq; legibus ecclesiasticis posse adstringi, omēm interim obedientiam tollentes, cælum terramq; confundentes, pro suo iure, pro sua libidine uitam agentes, hanc ueluti beluę silentio transigentes.

De acephalis & catabaptistis. Articulus xxxiiij.

¶Hos item acephalos, qui & res & uxores communes esse garriunt, interim omni derogantes imperio, nulli obsecundare curantes. Quive uno baptismo non contenti, sese retingunt, omnem ordinem ecclesiasticum inuertentes, cælum terramq; commiscētes, & quicquid est sacrum prophanantes: Hos inquam hæreticos, quanuis sese uocantes apostolicos, procul eliminandos.

De fratricellis & euangelicis. Articulus xxxv.

¶Hos quoq; fratricellos, quorū religionem sedes apostolica nō recepit, illos etiam in singulos annos excommunicans, quas denique censuras illi quotannis pecunia redimunt, hos, inquam, prorsus damnandos, ut qui sese uiuere dicunt ad euangelium. Hinc & Christi fratres Lutherani sese appellitant, & euangelicos. Quod tamen cum uerbis tum factis negant, nesciētes interim quid sit euangelium, omnemq; ordinem, obedientiam & religionem ab ecclesia tollentes, pro suo arbitratu uiuentes, nulli morem gerētes, nec Christum, cuius

se fratres dicũt, sequẽtes, nec legi subesse uolentes.

De sacramentarijs, & sabbatarijs.
Articulus xxxvi.

¶ Item qui circa sacramẽta uacillant, Christũve in sacramenti mysterio non adesse præsentem affirmant. Quive ceu Iudæi apelles, & sese circunci dunt, & sabbatum potius sanctificant quàm Dominicam: qua tamen Christus ab inferis morte triumphata, uitaq; reddita, resurrexit. Et hos, inquã, execrandos.

Articulus xxxvij.

¶ Atq; proinde hos confutandos hereticos, qui & ordinis & iurisdictionis claues inuertunt:

¶ Quive negãt pontificem Romanum esse ue xxxviij.
rum & unicum Christi uicarium:

¶ Quive ordinem ab ecclesia tollunt, adstruen xxxix.
tes omnes eadem autoritate ualere:

¶ Quive nec uirginẽ matrem, nec alios diuos xl.
inuocandos garriunt:

¶ Quive sacrum baptisma, sacramve confirma xli.
tionem, aut confessionem, aut denique extremam unctionem, atq; adeò omnia sacramenta ab ecclesia deijciunt:

¶ Item illorum insanias reprobãdas, qui eccle- xlij.
siarum, altarium & locorum consecrationes sugil
lant: ¶ Quive orationes: ¶ Quive sanctorum fe 43. 44.
sta ab ecclesia reijciunt, omnem adeò religionem nihili pendentes, omnia inuertentes, & proh pudor, si tñ ullus est uspiã pudor, etiã nunc dicẽtes se uiuere ad euangeliũ, q̃d ne digito qdẽ attigerint.

xlv. ¶ Item & illos damnandos, qui uel ecclesiasticas, uel ciuiles sanctiones naso suspendunt.

xlvi. ¶ Qui ve tanquam nasutuli, suam sentẽtiam totius ecclesiæ iudicio præferunt, semperq́ eandem canẽtes & cornicantes cantilenam, Hoc Christus dixit, illud scriptura cauetur: Nõ credam, non eq dem profecto, non etiam si sis angelus, ni sic Christum scripturamve dixisse probet ecclesia. Cuius nimirum sententia, præ tua meritò amplectenda fuerit, quam penes est omnis iurisdictio, cui soli, non item tibi, iuris dicundi copia facta est, cuius solius est ambigua scripturarũ interpretarier. Quid quod etiam hæreticis scripturæ interpretationem interdixerit? Nihil est ergo q̃d corniceris inepte: Hoc Christus ait, Sic scriptum est: quando & satanas hæreticorum pater & doctor erroris, id Chri-
Matt. 4. sto obtruserit. At quidnam hic illi respondit? Rursum, inquit, scriptum est. Cum ergo tu falsò citas scripturam, hãc ecclesia ueritati innixa refellit, clauum clauo pellens, dum penitus & aliter atq; tu diuina scrutatur & interpretatur eloquia, dum non ad eum eũdemq́ finẽ ac tu hallucinaris, hoc Christum dixisse testatur. Quid (malum) ergo hæreticus machinatur uerba uitæ extinguere, atque illa inuertere, atq; fucum nobis facere? Dic obsecro, dic symbolum. At illud ignoras. Nostrâs hic non fuerit, imò crudelis hostis, quem à fructibus noscere liceat. At (semel ut dicam) ut furioso nõ est dandus gladius, ita nec scriptura hæreticis hanc peruertentibus, adulterãtibus, falsoq́ citantibus, dum legem diuinam per capillos trahunt, & eorum opera mala sunt.

Miſſam eſſe ſacrificiū. Art. xlvij.

¶ Necnon illorum craſſos refellendos errores, qui inficias eunt, Miſſam eſſe ueram liturgiam & unicum eccleſiæ ſacrificium, haſce cæremonias cœleſtes irridentes, atq; adeò blaſphemantes, cum tamen ab æuo uſque cōdito uſque hactenus deo ter optimo maximo facta ſint ſacra, tāetſi aliter tempore legis naturalis, aliter item tēpore legis Moſaicæ atque hodie ſacra fiebant, quandoquidem Chriſtianum ſacrificium cœpit ab ipſo Chriſto, q̄ noſtri ſacrificij primitiæ (ut rex erat atque ſacerdos, hinc Ieſus Chriſtus uocatus) corpus ſuum & ſanguinē, atq; adeò ſeſe totū, pro noſtris expiādis peccatis obtulit deo patri. idq; in ara crucis, & qui dē multis cū precibus, multis cū lachrymis, multis cū uotis, multa cū religione, cūctis etiā eius membris expaſſis & ſanguine ſtillātibus, & faucibus irraueſcentibus, & luminibus caligātibus, dum inter ſacra exhalaret ſpiritum. Cuius rei ſemper nobis in mentem ueniat, & nos quoque eadē ex carne, eodem ex ſanguine ſic profuſo litamus, ſanctā Ieſu noſtri paſſionem offerētes, ut ne unquam nobis excidat. Quod, inquā, eccleſia fecit ab illo die uſque hactenus, eademq; ſtatuet libamina, quoad mundus perdurauerit, quāuis hæreticus inſaniat.

De ſacerdotibus. Art. xlviij.

¶ Et quiſquam fuerit qui affirmet & prophanos & mulieres eſſe ſacerdotes? Scin tu corp⁹ Chriſti, eiusq; ſanguinem à nemine poſſe confici, niſi q̄ iuſte ſacris initiatus fuerit? tametſi alij atque alij ſa

cerdotes fuere ab æuo condito adusq; legem Mosi, & item alij atq; alij tempore Aaronis usque ad tempora Christi, nouum sacerdotiũ nouumq; sacrum instituentis, quod omnis ecclesia usque hodie iugiter obseruauerit. Quid ergo hæc tã sæua erynnis, ausa est & in sacra altaria proserpere, & quicquid est sacrum prophanare, & unicum hoc sacrũ sacrosanctum pessundare? At tu sacerdos à linea occipito, neve temere quid agito: neve latum unguem ecclesiæ pscriptum transgreditor. Sed ut ad memoriam posteris ecclesia cõsignauit, sacrificato. Scin esse nefas ó nasutule, aliter atq; Christus instituit, ecclesiave prescripsit, sacra facere?

De sacramento euchariſtíæ. Articulus xlix.

¶ At illorum detestandam demẽtiam, adstruentium panis uiniq; substantiam remanere in hisce rebus iam consecratis: item negantium accidẽtia illic esse sine subiecto. Hic em̃ (ut ad sanctũ alludã Cyprianũ) hic inquam panis cælestis, panis uiuus, qui semp integer erogatur singulis. Hic panis cælestis, quo sponsam suam ecclesiam Christus enutrit, quo nisi uescamur indies, haud sustinuerimus. Hoc sacrum Christi corpus, & preterea nihil, corpus inquam, uerum & succi plenum, quo Christus pascit & incorporat ecclesiã. Hic sanguis quo animos sanctos uegetat & uiuificat. Hic uerus animorum cibus, quo fit ipse Christus ecclesiæ suæ substãtia. Hæc uiuida caro qua illam cõglutinat, hæc caro qua mundum ligno suspensa redemit. Hic calix sanguinis Christi, nouiq; & æterni testamenti,

qui mundi afferēdi gratia largiter effusus est. Hic agnus cælestis & immaculatus, summæ qui triadi sacrificatur indies. Hic denique Christus ipse panis uitæ, panisq; cælestis, quem manducātes, non itē consumentes, in eodem Christo uiuimus. Et cur obsecro tam uarijs nominibus hæc mysteria Christus expressit, quàm ut eiusce rei tantiq; sacramenti ueritatem designaret? Non ergo fictè, non imaginarie, sed uere, sed secundū suā substantiā Iesus noster integer hic continetur. Ad hoc, inquam, cæleste cōuiuiū uniuersa inuitatur ecclesia, & uni capiti Christo spōsa sua coniungit. Hic parte æqua panis uiuus & integer erogat singulis, quo ex oībus unum corpus suo corpore Christus constituat. Et unus quibus est panis, unum est corpus oīum, una fides, una ecclesia. Iesu quoq; ad unū oēs adhærescimus, ipseq; dei filius sub hisce mysterijs, sub harum rerum figuris, nobiscum habitat & manet æternum. Et quem rebus eisdem cōsecratis uerè præsentem adesse credimus, ipsum magna cum gloria, magna cum maiestate coram adesse cernimus, & hisce figuris obtectum adoramus. Et coctilis panis facies, connexa, & adiacentia, absque substramentis subsistunt. Nihil proin ad hāc rem faciunt illa categoremata, nihil elenchorū elenchi & dialecticorū argutiæ. At fides hæc om̄ia credit, & charitas strictim amplectitur. Ecqd ergo illud os impudens, uel ipsum Christum de regno suo in quo nobiscū triūphat, deturbare conatur?

De non communicando sub utraq; specie. Articul. L.

¶ Nihil proinde fuerit, quod prophanis & laicis utrunque, tum corpus, tum sanguis CHRISTI ministretur, ut ne fortè rei tãtæ fiat iniuria, uel dum calix effunditur, uel dum hic glaciatur. Corpus ergo Christi sufficere, quod indubie haud exangue fuerit. Quin & ipse Christ⁹ & eius apostoli solum hũc panem interdum participarũt, quem manducantibus noster ille Iesus uitã æternã promittit. Ex utroq; tamẽ, & carne & sanguine Christi, litandum esse: quæ sacra prophanis attrectari nefas esto.

De interdicto sacerdotibus matrimonio. Articulus li.

¶ Præterea non est, cur sacrificus ducat uxorẽ, monachave monacho nubat, cũ satis superq; frequentes sint laici, & prophani quãplurimi, qui genus humanum multiplicent. Et quò obsecro matrimonium sacris initiatis, deoq; deuotis?

Quindecim errores Augustæ discussos, refellendos. Art. lij.

¶ Illos item execrandos errores, in quibus septem Lutherani cum totidẽ orthodoxis uiris, tam clarissimis q̃ doctissimis decertantes, perstiterunt pertinacissime, q̃uis illos & D. Carolus Cæsar ter optimus maximus, ualidis refefellerit argumentis, cum esset id tẽporis in centuriatis comitijs Augustæ Vindelicorũ habitis, cũ certis cardinalib⁹ ac episcopis, cũctisq; principib⁹ impij. Nefas ergo fuerit uel cogitare, nedũ dicere, q; in cõfessiõe sacramẽtali nõ sit necessaria oĩm delictorũ enũeratio:

¶ Quod ſuperuacanea ſit ſatisfactio ad remiſ- Art. liij.
ſionē peccati, quantū ad pœnam:

¶ Quod uota & traditiones de delectu ciborū liiij.
& diebus Quadrageſimæ, inutiles prorſus ſint, &
contra euangelium:

¶ Quod nulla humana opera quantumuis bo lv.
na, dici poſſint aut debeant meritoria:

¶ Quod inuocatio ſanctorum ſit periculoſa: lvi.

¶ Quod Euchariſtia per plateas deferri nō de- lvij.
beat:

¶ Quod liceat aliàs q̃ in Miſſa conſecrare: lviij.

¶ Quod ſacrificis & monachis uxores ducere, lix.
& monialibus nubere liceat:

¶ Quod doceri debeat, eos qui ſub una tantum lx.
ſpecie communicant, non peccare:

¶ Quod plebani unam tantum ſpeciem peten- lxi.
tibus, dare non debeant:

¶ Quod Miſſas priuatas & utrunq; canonem, lxij.
iuxta maiorum traditiones & ſacræ Romanæ ec-
cleſiæ ritum, ſeruare non debeant:

¶ Quod applicatio Miſſæ pro uiuis & defun- lxiij.
ctis, nihil ualeat:

¶ Quod Quadrageſimæ & alia ieiunia ab ec- lxiiij.
cleſia ſtatuta, ſeruari non debeant.

De non edendis carnib. Art. lxv.

¶ At ſi Hieronymo & Gerſoni credimus, bene ab eccleſia inſtitutū fuerit, q̄ ieiunemus Quadrageſimam & Quatuor tempora, etiam à tempore Moſi uſq; hactenus obſeruata. Interim abſtinentes à carnibus, quibus facile carebimus, ſi eccleſia paſſim ꝑmittat homines ueſci lactuarijs, quod fa-

cile factũ fuerit, quum id partim usu uenerit, partim p episcopos liceat. Quibus inquã lactarijs & caseus & oua addantur. Nihil erit quod isti aulici & terrarum domini, haud absq; subditorum scandalo (ut carnales sunt) adeò carnes deuorent, idq; prætextu diplomatis pontificis maximi.

MISSAM prodesse defunctis. Articulus lxvi.

¶Quod aũt Missa pſit & uiuis & qescentibus, id facer ille testat Dion ysius, eo q inter sacra tẽpore etiã apostolorũ cœptum est orari pro mortuis. At ò euangelice (tali em̃ noĩe hoĩes nunc sese uenditant) ubi, cedo, hęc quę tu garris, in euãgelio exarata sunt? Tu id euãgelio caueri dicis, ecclesia uero contrà. Rursum tu id negas, ecclesia autẽ cõtrà. Vtri potius nunc ego credam? Tibi ne qui à furijs profectus, insanis? an ecclesiæ quæ spũsancto afflata, ueritatẽ docet? quã tu nõ tuleris, utpote à patre mendacij diabolo falso persuasus. Quidnã euangelici negant euangelium? Quid uerba uitæ moliunt extinguere? At quorsum non pergit temeritas? qd impij non factitant? quid non audent?

Qui sint habendi hæretici, Articulus lxvij.

¶Deniq; ne longũ faciam, omnes illos hæreticos, euangelicos, & Christi fratres, & fratricellos, Iterum atq; iterum damnandos, qui scripturã falsò interpretantur, qui (nescio qua fronte) negãt & patrios ritus, & sacras cæremonias, & leges ab ecclesia expressas, q deniq; errores semel seucro exa

mine cõfutatos, iterum impudenter refricant, malum bene conditum (ut aiunt) effodientes, iudicium totius ecclesiæ sibi arrogãtes temere, nulla eis porrecta uirga censoria.

De cõburẽdis hæreticis. Ar. lxviij.

¶ Cæterum ut deinceps nullus intumescat supbia, sibi uni placens, omnes illos errores per apostolos, perq; uiros sanctos reprobatos, nempe per Hirenæũ, Athanasium, Gregorium Nazianzenũ, Cyprianum, Lactantium, Hieronymum, Augustinum, Ambrosium, Basilium, Chrysostomum, Gregorium, Tertullianum, Hilarium, Fulgentium, aliosq; uiros, resalsos & ab ecclesia damnatos errores: illos inquam, in breuem quendam epilogum redigendos, instar legis duodecim tabularũ. Quibus si quispiam refragetur, suove insano cerebro fretus obganniat, quàm mox eũ uelut stupri compertum & maiestatis reum, & incendiarium, & transfugam, mulctandum & puniendum, uti uel sic tandem omne malum à pia Christi ecclesia auferatur.

Ad legem Carolam de hæreticis. Articulus lxix.

¶ Iuste proin atq; pie atq; sancte edixit diuus ille Carolus Cæsar ter optimus maximus, ut ne qs (qualisqualis aut quantusquantus esset) literis excuderet damnatos hæreticorum libros, præsertim illius Martini Lutheri, hęretici longe tam pestilentissimi, quàm multo insanissimi. Neve Iohannis Oecolampadij, Vlrici Zuinglij, Philippi Melan-

chthonis,aliorumve hæreticorum, qui ceu furentes catuli, uirosissimas illius lamiæ mammas fellicantes,tabificum uirus per totum orbem diffuderunt, libellos imprimeret. Neve quis illos describeret,legeret,aut emeret.Neve quis hæreses declamaret, traderet, assereret, disputaret, discuteret. Neve clam,neve propalam impia quis iniret conuenticula,factiosave hæreticorũ conciliabula,ubi insana docentur aut uersantur dogmata. Neve quis sanctam scripturam prophanaret, interpretaretur,aut edissereret aliter atq; sacrosancta Christi eccesia nos edocuit.Illud item sanciens,uti qsque catholicam fidem obseruet,& quidem firmiter ac fideliter. Qui secus faxit, ut maiestatis reum plectendum expressit. Atque proinde huius legis æterna autoritas esto.

De sacerdotio & imperio.
Articulus lxx.

¶ Sed iam nunc missum faciamus hoc hæreticũ uulgus longe pessimũ,præ se cõtemnens omnes, cedens uero nemini.Cæterum ut sacerdotium,ita imperium quoq; à deo constitutum est atq; firmatum.voluit em̃ deus ter optimus max.Christianã remp.suamq; ecclesiam quadam monarchia componi.unumq; Romanum episcopum (qui rex est atq; sacerdos, per cunctos reges trifido diademate splendens)suæ præfecit ecclesiæ, quæ iurisdictionem & gladium dedit Cæsari, cuius est obsecundare iussis pontificis maximi, alioqui ipsum exautorari posse. Oportet enim ecclesiæ Christiq; ministrũ,tutorem esse fidelẽ, grassatorẽ non item.

De potestate & maiestate Cæsaris. Articulus lxxi.

¶ Hic igitur Cæsar, penes quem summa totius magistratus. Quin hic rex maior secundum pontificem maximum. hic unus princeps, cui sacrosancta ecclesia dedit, præstitit & merum & mixtũ imperium, omnemq́ adeò iurisdictionem, uti eã defendat ab iniurijs. Hic unus monarcha, cui moderanda hæc eadem concredidit, mancipioq́ dedit, omnia regna mũdi. Hic ipsus imperator, cui merito cedat quicquid in orbe manet, cuius ope ac præsidio tota reip. Christianæ salus nititur. Proin ut unus est deus cælorũ, ita sit unus oportet & terrarum dominus, qui moderetur hanc quoq; monarchiam, sane q̃ pulcherrimo magistratus ordine compositam, qui deniq; dominetur uniuersis, quem clari heroes circũstent agmine denso, principibus cunctis triplici renitente corona.

Neminem eximendum ab imperio. Articulus lxxij.

¶ Omnes ergo reges & principes terræ, debere subiectos esse Cæsari, tanquam omnem iurisdictionem ab ecclesia & põtifice maximo habenti, neq; quem à sacro imperio exemptum iri. Quin oẽs exemptiones, uelut rebellionis ansam, reuocãdas & irritandas. Ipse eñ est, cui iure obsecundent uniuersi reges terræ, nedum proceres & heroes illustres, clarissimi ve aut spectabiles aut perfectissimi. Ipse est, cuius imperiũ oñem per orbem longe lateq; protenditur. Ipse est deniq;, cuius regnũ

á deo consecratum & firmatum est, quo sacer imperator sit unus hierarcha mundo pfectus. Quisquis autem illi obnititur, dei ordinationi resistit. Ille superbos atq; rebelles, facile debellat atq; triumphat. Sit ipse proin tam optimus quàm maximus princeps.

De officio Cæsaris. Art. lxxiij.

¶Iam uero totis animis, totisq; uiribus utriq;, & pontifici Romano, qui summus est rex atq; sacerdos, & Cæsari ter optimo maximo enitēdum, uti templorum sarta tecta nunc miserè corrupta, & ecclesiæ spoliatæ, direptę & deprædatæ, sarciantur, restituantur, & prisca libertate donētur: suūq; gladium cælitus sibi traditum, ecclesiæ defendendæ gratia Cæsar exerceat. Et quæ uel sæui tyranni, uel Lutherani episcopi extorserint, aut alienauerint, iterum reddantur ecclesiæ.

De quatuor patriarchis restituendis. Articulus lxxiiij.

¶Illud item tum pontifici maximo, tum Cæsari præstandū, uti & sedes Hierosolymitana, & ecclesia Cōstantinopolitana, & patriarchatus Alexandrinus, & sedes Antiochena reponātur, quo uel sic sacerdotium simul & imperium auctum floreat. Quod facile factu fuerit, si huic rei & alij principes Christiani suppetias tulerint.

De bello Turcico suscipiendo. Articulus lxxv.

¶In primis tamen necessum fuerit, impium il-

lum Turcam, & Constantinopolitanum imperiũ usurpantem, & sacrum Romanum regnum ambientem, atq; adeò totam ecclesiam labefactantem perdomare, illud os infame, & importunam tyrãnidem perdere, illos ethnicorum ritus prorsus eliminare. Et hoc quoq; facile factu, si rex Persarum atq; Medorũ, ac imperator Indorum, nobis confœderati fuerint.

De magistratu Romano instaurando. Articulus lxxvi.

¶Quo deniq; & illud fiat facilius, Cęsari studendum est, priscum illum Romanum magistratum suo ordine cõponere, illumq; ut olim in urbe Roma, Constantinopoli reponere, uti uel hoc pacto amplissimo senatorum ordine instituto, & magistratu Romano iterũ instaurato, ut olim, sapientia & prudentia mũdus gubernet, & uti decet, Christiano imperio subdita sint omĩa regna mundi.

De assentatoribus principum. Articulus lxxvij.

¶Deniq;, ut ad illud opus pium facilius aspiretur, in aulis principũ haud enutriendos, istos palpones, istos indoctos monachos & assentatores pessimos, totũ adeò orbẽ labefactãtes, dũ regum auribus seruiũt, nihil in mediũ, sed sibi tantũ cõsulentes. Proin ibi fore uiros sapiẽtes, quorum scientia mũdus illustretur, uti fecit impator Iustinianus, ut in capite codicis eius est uidere. Quo fiet ut paulatim omĩa scandala ab hoc cælorum regno tollantur, quę à tempore Cõstantiensis synodi succreue-

re sane q̃ maxime,&(proh dolor) indies magis et magis increscunt & inualescunt,& ni maximũ indicatur comitiũ,ni obuietur illis,ni præsens sit adhibitũ remediũ,actũ est de rep. Christiana.

De officio pontificis maximi. Articulus lxxviij.

¶ Sũmi sacerdotis ergo partes fuerint, quoquo decennio sacrum & maximum comitium indicere,illa intolerabilia grauamina, schismata & scandala à sancta Christi ecclesia tollere,hæreticos damnare,cortisanos comprimere,tyrannos cõpescere,iniquas leges abrogare, & suo Christiq́ gregi iustas præscribere leges,illam Romanam curiam hodie ut cum maxime furentem emendare, atq; tantum luxum, tantũq́ fastum ab ea prorsus ablegare,atq; ubiq; pacem inter Christianos principes componere,illaq́ firmata per omnem ecclesiã,ex patrijs ritibus optima colẽda esse, deniq; in singulos annos legatos mittere, per quos aliosq́ prælatos ecclesiæ,speculari dicitur uniuersa.

De electione pontificis maximi. Articulus lxxix.

¶Porro quando summum regem & sacerdotẽ cum eruditum,tum sanctum esse deceat, si in eius electione schisma contingat, & in sedem apostolicam quem ui metuve intrudi,huius rei cognitionem habendam ijs,quibus in his sacris comitijs iurisdictio danda erit. Atq; ideo normam à Bonifacio eius nominis octauo pontifice max.ad eligendum Romanum episcopum expressam,obseruan

dam,ipſumq́ʒ ad oues Chriſti paſcendas appoſitũ, undeuis gentium adſciſcendum.

De cardinalibus. Art. lxxx.

¶ Prouidendum quoqʒ, ut ne ſit tantus numerus cardinalium,neve quem rubro decorandũ galero ſine titulo, ęreve dato,ipſosq́ʒ ex omni gente deligi poſſe,& cuiqʒ ꝓuincię cardinalẽ ꝑficiendũ.

De ſanctiſſimis epiſcopis. Art. lxxxi.

¶At illud haud ferundum in Chriſti ecclefia,ut ſoli nobiles eligantur in epiſcopos,quos decet eſſe ſanctiſſimos. Quare illos ſolos præficiendos eccleſiæ,qui & morati & periti fuerint:qui cum uerbo, tum exemplo Chriſtianum gregẽ docuerint: ꝗ ſuum fecerint officium,haud male audientes à populo,ut ne fortaſſe dicatur:En hic qualis mitratus aſinus,en hic uenator robuſtꝰ & aleator peſſimus, en hic Mileſius.

Vndeuis gentiũ ſeligendos epiſcopos. Articulus lxxxij.

¶Propterea non referre,epiſcopus ſit membrũ (ut aiunt) capitulare, ſed undeuis loci,ut olim ſolet,iuxta Pauli doctrinam, uirum bonum & piũ, & ad curam animarum appoſitum,& ſcientia pręſtantem,& moribus eximium,ſeligendum.Electiones q́ʒ fore liberas, nec quenquam à principibus intrudẽdum,ut ſubinde proh dolor eſt uidere,idq́ʒ in perniciem totius eccleſiæ.

De coepiſcopis. Art. lxxxiij.

¶Et quanuis illi tantum sint eligendi episcopi, qui suum & sciant & faciant officium, hos tamen suffraganeos, quos coepiscopos uocat antiq̃tas, utcunq; tolerãdos, qui uices tum ignari tum ignaui episcopi adimpleant, & ecclesiæ labenti succurrant. Eò enim, proh dolor, eò uentum est hodie, ut illos germanos præsules tędeat pigeatq; officij sui: quin episcopum iamdudum sui officij depuduit. His tamen coepiscopis per illos suos episcopos abunde prouidendum, ut ne illi fortè pressi penuria, esuriant, & per simoniam ordinent aut consecrent, hi uero ebrij sint, ut fuci ignaui, mella uorantes, sed nunquam mellificantes, uino se proluentes, sed uineam non colentes, lac gregis ingurgitantes, sed oues nõ pascentes, imò has ad uiuum tondentes atq; deglubẽtes. Indecorum tamen esse, utrunque sacris simul interesse, sed alterũ solum illa perficere, quasi ille huius miser capellanus esset, ne fortè ecclesia euadat tandem in mõstrum teterrimũ, si biceps fuerit.

De archidiaconis. Art. lxxxiiij.

¶Et licet archidiaconorũ partes fuerint, episcopo inseruire, eiusq; uices dum absens est adimplere, ipsi tamen hoc non solũ non faciunt, sed etiam parũ uisum est ipsis si dominentur eius: quin ocio uacantes, & luxu & fastu torpentes, iurisdictionẽ quoq; eius inuadere machinantur, hodie residẽtes in ecclesiis haud secus ac statuæ. Atque proin illos uel prorsus amouendos, uel ad pristinam uitã, suumq; officium reducendos.

De archipresbyteris. Art. lxxxv.

¶Quando nec archipresbyter suum facit officium, ipsum quoque ad priscos illos ritus ecclesiasticos retrahendum, siue rure siue in urbe moretur, talemque eligendum, qui cunctis presbyteris sit exemplo, qui sacrum oleũ chrismaque non distrahat, nec tyrannidem in ecclesiam exerceat.

De Christi sacerdotibus. Articulus lxxxvi.

¶ Prouidendum quoque, ut ne Christi sacerdotes sint adeò moribus corrupti, neve bibones, neve tabernarij, neve argẽtarij, neve usurarij, neve concubinarij, neve aleatores sint aut uenatores, neve mundo, sed soli deo, cui sacri sunt, militantes.

De ætate & qualitate sacris initiandorum. Art. lxxxvij.

¶ Hoc operæprecium fuerit sancire, ut neminẽ episcopus sacris initiet, nisi sit natus annos triginta, cum illud & antiquitas statuit, & apud Romanos olim indecorum fuit, si quis ad magistratum adscisceretur ante annum duodetricesimum.

De uæsanis cordesanis. Ar. lxxxviij.

¶ At iam nunc ueniẽdum ad illud genus hominum longe pessimum, ad illud uulgus multo pestilentissimum, & ecclesiæ sane q̃ perniciosissimum: ad illos, inquam, simoniacos, gentem infrenem & & infrunitam, per urbem Romam, atque adeò per uniuersum orbem, mirum in modũ grassantẽ: ad illud, inquam, genus hominũ plane exterminandum, qui cortisani quasi cordesani uocãtur, quos

cordeuæsanos potius appellare licebit,ut qui nũc ita debacchantur in piã Christi ecclesiam, ut cum maxime. Et ab horum uæsania furendi occasiõe arrepta,omnes istæ hæreses,& mala cuncta,& inuenta quædam pessima, imò diabolica, in sanctã irrepserunt ecclesiam. Quin ipsi ansam malorum om̃ium præbuere tyrannis. Hi sunt qui ecclesiam non solũ non illuminãt, purgant & perficiunt,sed etiam obscurant,conspurcant,& labefactant, oĩa crudeliter corrumpentes,quæ sua sunt quærentes, non quæ Iesu Christi. Quid, quod omnem ordinem ecclesiasticum interturbãt, & quicquid est sacrum,uænum exponunt? & diuinam æternamq́ legem,pariter & ciuilem & ecclesiasticã cõfundunt, inuertũt,& obnubilant? Hi sunt,ut sanctus ille Bernardus in sacro comitio egregie declamauit, q̃ seruiunt antichristo,honorati incedunt de bonis domini,qui om̃ino honorem non deferunt,&c. Magnos quidẽ ille abusus enũerat,& execratur:at nihil ad hos qui hodie fiunt. Quos si ille uir sanctus nũc uideret,deum immortalem,ut in hoc uulgus inueheretur? ut cruentum calamum impingeret? ut dilacceraret eos? Quare mihi donandum, si ego parum mordax præ illo,hæc solũ taxauerim,quæ neutiquam celari possunt,imò quę manifesta sunt omni populo. Et ideo omnes illos abusus per illum uirum sanctum citatos,abrogandos censeo.

De Simonia. Articulus lxxxix.

¶Si in lege duodecim tabularꝶ perscriptum est, sacrum sacrove commendatum,qui clepserit rapseritq́,parricida esto multo magis in hos maie-

ſtatis reos & impios & ſimõiacos cortiſanos animaduertẽdum, quorum peculiare flagitium, oẽm funeſtat eccleſiam: qui non ſolum Chriſtum, ut Iudas, ſed & ſpiritumſanctum uẽditant, & ſacra mercantur. Adeò nunc om̃ia proſtãt, & ſacra dum exercent mercimonia, ſacra furantur, ut haud iniuria tum fures, tum latrones in iure uocentur. Quin inter primos hæreticos & ſceleratos habentur. Et ideo omnem ſimoniam ab eccleſia tollendam, & acerrime puniendam, inſtar & maieſtatis & parricidij criminis, illosq́ ſimoniacos cortiſanos citius ab eccleſia diſperdendos.

Haud facile diſpenſandum cum Simoniacis. Articulus xc.

¶Quorum facinoris crimen tantum eſt, ut ne quidem pontifex maximus eos lege ſoluerit, cum ipſisve (ut aiunt) diſpenſauerit, ni ſacerdotium beneficiumve ſimoniace partum, prius reſtitutum fuerit, & ne tum quidem, niſi & digna pœna tantum piaculare flagitium animaduerſum fuerit.

Quanta mala cortiſani machinantur indies. Articulus xci.

¶Et nimirum uæſanus cordeſanus eo grauius delinquit, quo ſuis illis horrendis ſceleribus, ſimonijs, hæreſibus & rapinis maiorem prætextum fecerit, & licentiam ſedis apoſtolicę obtruſerit, dum pontifici maximo fucum fecerit, adeoq́ illum opportune importune ſolicitat atq́ appellat, atq́ callide circunſcribit, atq́ inducit, ut multa etiam horrenda fiãt in Ieſu Chriſti eccleſia, quę nec cogitar

da fuerint. Quod Græcia ab ecclesia desciuerit, quod Alexandrina ecclesia perijt, unà cum Hiero solymitana, Antiochena & Cõstantinopolitana, quod tanta hæresi infecta sit Germania, quod tan tis malis mundus sit oppletus, id factitauit impius cortisanus, qui etiam (ut ait Bernardus) parat ape rire uiam Antichristo, nisi illius malitijs obuiauerit ecclesia. Hæc lerna malorum omnium & sanctam dei ecclesiã, fontem bonorũ oĩm conspurcat, & omnium prædonum crudelitatem superat. Hic peior Iuda est, & harpyia rapacior, & Oreste insa nior, & Sardanapalo effœminatior. Si scribas & pharisæos adeò duriter Christus increpauit, si eorum hypocrisim durius taxauit, si illos nummula rios & columbarios tẽplo eiectos durissime flagel lauit, ecquis obsecro hosce ferat macellarios, carnifices & proditores, longe uincentes illorum ma litiam? Et quid de eis, & quid de Christo fieret, si hic illorum incusasset nequitias & sycophantias? Hi sunt & alienarum rerum auarissimi, suarũ uero quàmmaxime prodigi. hi (semel ut dicam) hi sunt, qui desperati salutis, in om̃i luxu fastuq́ue uitã trãsigunt, illamq́ue ut beluæ silentio traducunt. Hi sunt qui totum mundum spoliant, & scandala tam plu rima quàm maxima in sanctam important ecclesiam, nihil aliud quàm auaritiæ studentes, & oẽm animum ad sacra mercimonia applicãtes, & mul ta sacerdotia per fasq́ue nefasq́ue congerentes, & sem per noua inuenta molientes, quæ tollenda sunt omnia.

De regressu. Artic. xcij.

¶ Atat quanto immanius est illud horrendum inuentum, quod paucis antè annis, imò adhuc nostra memoria quidam rapax, trahax, tenaxq́ꝫ cortisanus, nulla beneficiorū copia satiabilis, quanuis horū copiosissimus, in hoc regnū cælorū intulit? illudq́ꝫ iam usu uenit, quo Christi hæreditas semel alteri cessa, post mortem eius pleno iure ad eum qui illam cesserit, reuertatur, quasi sanctuariū dei, iure hæreditario possidere liceat. Quare illud diabolicum cortisani inuentum, illosq́ꝫ regressus ad inferos usque, unde progressi sunt, ablegandos. Et non solum illos, sed & regradarios illos, ut hęreticos, damnandos & execrandos.

Cur impij cortisani tanto tempore conciliū impedierint. Art. xciij.

¶ At quid impij non machinantur? quid nō audent? quid non factitant hi uæsani cordesani? Qui non solum sunt lerna malorum omnium, sed etiā omne bonum impediunt, perq́ꝫ hos, centum & duodeuiginti annos generali concilio obstiterunt, uti uel sic per suos regressus, aliasq́ꝫ technas & sycophantias, audentius & licentius grassarentur in piam Iesu ecclesiam. Quam dum Hadrianus pontifex maximus, Cæsaris meusq́ꝫ pręceptor dulcissimus, ut erat uir pius, indicta synodo emendare studuit, tanto odio uirum bonum & sanctum persequuti sunt, ut ipsum (ut perhibēt) ueneno extinguerent. Adeò hi impij hoc maximum & sacrum comitiū pertimescunt. Quod nisi quàm mox indicetur, uerendum uerendum, ne ira cælestis in terram descenderit, consumptura uniuersos.

De regulis cancellariæ antiquandis. Articulus xciiij.

¶ Et quo magis per suas subtiles practicas cortisanus inuadat & inuertat omnia, quasdam regulas cancellariæ à pontifice maximo extortas, sibi confingit, uti sic ipse solus, posthabitis uiris bonis, cuncta ambiat sacerdotia, omnesq́ dignitates ecclesiasticas coaceruet. Quin, ut proditor est pietatis & religionis, ubiq gentium suos habet proditores pessimos & fallendi peritissimos, uacãtia explorantes sacerdotia, iustosq́ possessores ad urbẽ in ius uocantes, illosq́ absq misericordia diuexantes. Atq proin istas ridiculas & barbaras cancellariæ regulas, tanq̃ muscipulas et aranearũ telas, & callida hæreditatis Christi & bonorum pauperũ aucupia, prorsus antiquandas, legemq́ communẽ iuste & æque præscriptã, tum Romæ tum in prouincijs sufficere.

De pensionibus. Artic. xcv.

¶ Et quando cortisanus sit lupo rapacior, uulture edacior, & Busiride illaudatior, semper ut coruus hiãs, ut uultur edax cadauer expectãs, ipse inq̃ ut lupus rapax noctes & dies Christi caulas obambulat, &, quod ne ethnici quidem fecerunt, sanctuarium dei iure hęreditario possidere parat, idq́ alio atq alio modo, atq per regressum, dum pensio perpetua constituitur. Tolerandum itaq non est, ut Christi hæreditas hypothecæ pignori ve detur, & pensione post mortẽ etiam cessionarij annuè præstanda reddantur beneficia, fructus ve sa-

cerdotij cessi uice pensionis assignentur, quod & Felinus & multi patres sacriloqui attestantur, con sentientes mecum.

De pēsionis redēptione. Art. xcvi.

¶Atq; nec illud tacēdum, quod hi in ecclesiam grassatores, paucis ante annis moliti sunt, pensionem redimētes, & quod non poterāt directe, rem spiritalem indirecte pecunia comparantes: quare & huic malo obuiandum.

De sacra usura. Artic. xcvij.

¶Illam sacram usuram, atq; adeò execrandam uersuram, detestandam, qua cōtra rerum naturā, pensionum solutiones priusquam dies cedat, cortisanus anticipat: & quod ne quidem in rebus prophanis ferendum est, hoc impius audet sacrilegus in rebus sacris, fœnoris omne genus sacro superās ita fœnore.

De sacrilega uersura. Art. xcviij.

¶Et quisquam etiamnum fuerit, qui has sacras pensiones, impiosq; regressus non execretur? Ecquis obsecro non uideat, nisi sit Cimmerijs in tenebris, quantas sycophantias, quantasq; technas in pēsionibus & regressibus cortisanus nebulo committat, eo grauius (proh dolor) peccans, quo sibi maiorem prętextum sedis apostolicæ facit. In primis itaq; multis horrendis pactis in instrumento perscriptis, pensio grauissima grauissimis cum usuris constituitur. Deinde illa ex una aliqua ecclesia monasteriove quotannis in semestre tempus soluitur, & quidem cum menstruis & centesimis usu

ris, imò quæ uel sexagesimo mense sortem æquarit. Quod inquam, fœnus longe grauius est, atque illa cautio olim lecta in Aemilij Papi ꝑfecti prætorio, eratq; centesima usura uix tolerabilis apud ethnicos. Iam uero, dum quod in porrectum non potest, id per anfractum flexumq; molitur, statim quàm constituta est pensio illa, redimatur oportet, ex centenis ducatis annuè soluendis, quingentis sexcentisve numerãdis: semper tamen (ut aiũt) sub beneplacito sedis apostolicæ.

De rebus ecclesiæ non alienandis. Articulus xcix.

¶Præterea quãuis de ecclesiastico & ciuili iure sancitũ sit, res ecclesiasticas nõ alienandas, hoc tamen cortisanus facit. Vnde nihil est quod ipse argutetur, Hęc res spiritalis cum spiritali commutatur, dum pẽsio ex monasterio ecclesiave annuè soluitur: quasi non satius esset, prędium prophanum oppignoratum iri, quasi hic non duplex malum perpetretur, dum & res ecclesiastica contra ius alienatur, & res prophana (nempe pecunia) pro re sacra annuè soluenda datur. Quare & pensiones reuocandas, & ecclesias ab his liberandas.

De nefando fœnore in regressu machinato. Art. C.

¶ Atat quàm est execrãdum illud cortisani inuectum, circa regressus machinatum, dum mortuo cessionario, ipsa pẽsio à cortisano quoad uixerit, annuè percipitur, & ipsum præterea sacerdotium ad illum impium sacerdotem, unà cum sorte & usu

ris regreditur,& iam tum aliud atq; aliud mẽstruum fœnus exercetur. Quo fit,ut semel, iterum,tertio & pensio duret,& idem beneficium ad impium reuertatur:& iam non uera,sed imaginaria præstatur usura,dum toties ipsa sors geminis & tergeminis cũ usuris redit ad sacrilegum regradatium.

De pẽsionis trãslatione. Art. ci.

¶ Iam uero quis & illud non execretur,ut pẽsio diuidat modo in treis, modò in sex personas trãsferenda? & hoc quoq; malũ paucis iam annis irrepsit in ecclesiã.Et ideo hũc morẽ adeò barbarũ & plane simoniacum,ad inferos detrudendum.

Omnes pensiones extinctum iri. Articulus cij.

¶Atque proin quando & summa & diuina lex huiusmodi usuras & simonias prohibent,oẽs illos regressus & pensiones irritanda & reuocãda.

De hæreditate Christi & actione non uendenda. Art. ciij.

¶Atq; nec illud tolerandum, ut liceat hæreditatem Christi distrahere,actionemve ad sacerdotia competentem, uendere uel emere,ut faciunt cortisani ad diuexandos homines.

De commendis. Art. ciiij.

¶At ecce uæsanos cordesanos,ut horum furor increscit & inualescit indies? En hi beneficia & dignitates habent in commendis, uel potius(ut ipsimet aiunt)in comedendis, qui per oẽm Italiam & totum ferme per orbem, cum abbatias,tum ali

as dignitates deuorant, & pinguem Christi panē abliguriunt. Haud ergo ferūdum, ut uæsanus cordesanus, uel quiuis alius cappam & cucullos erubescens, apostolicum diploma extorqueat improbissime, & ipse manens in seculo, facultates abbarum patrum, ecclesiis direptis, ouibus Christi deuoratis, om̄ia in luxum prodigat uoretq; auarissimum, Christi hæreditatē conturbans, ut unus aliquis misellus monachus lolio uictitans, eius uices adimpleat, tum seruitute oppressus, tum laborib⁹ delassatus: & ille sit temulentus, hic uero siccus. Atat, quàm hoc mōstrosum portentum, q̄ portentosum monstrum fuerit in ecclesia, in sacra Iesu uinea, cū boue & asino arare, sic oues lupo cōmittere, sic impio cortisano cōmēdare quod ipse comedat, ac fucos ignauos mella haurire: illū lac gregis ingurgitare, qui non solū nō pascit, sed etiā depascit illū. Has itaq; cōmendas haud ampli⁹ cōmendandas, sed oēs & reuocandas, & prohibendas.

De coadiutorijs. Art. cv.

¶ Atq; haud scio, num ista coadiutoria (ut uocant) modo quo fiunt hodie, conniueri poterūt: ius enim uetat & ratio.

De pallijs. Art. cvi.

¶ Sed illud nō tolerandū, ut hi cortisani tā carē distrahāt archiepiscoporū pallia. Quod sceleris crimen p̄petrantes, S. ille Gregorius (ut in eius registro est uidere) excōmunicauit om̄es, prohibēs etiam p̄textu scripturæ sigilli ve quid recipi. Quo tamen prætextu om̄is simonia excusatur hodie.

Rubros galeros non distrahendos. Articulus cvij.

¶ Nec rubros galeros tot millibus ducatorum emendos, cum uel uno comparari possent, & quidem inter prophanos.

De annatis & decimis decimarum. Articulus cviij.

¶ Haud tamen inficias iuerim, iustas annatas, & decimarum decimas, mediosve fructus, pontifici maximo deberi. verum illas annatas & decimarum decimas, recenter inuentas, fore ꝓhibendas.

De plātoꝝ cōfirmatione. Art. cix.

¶ Nihil tamen exigendum pro confirmatione episcopi, abbatisve, aut alicuius alterius in curiā gregis Christiani adsciti.

De unionibus, annexionibus & incorporationibus. Art. cx.

¶ Et quando cortisani & decimas & ecclesias & prælaturas incorporant, & suis illis prælaturis inuiscerant, suisq́ꝫ capitulis & stabulis adglutināt, imò adferruminant, quo magis sua corpora, sua uiscera uelut saginariç scrophæ saginēt, idcirco monasteria aliasq́ꝫ dom⁹ religiosas & ecclesias in pristinū statū restituendas: & istas (ut uocant) uniones, & decimarum & ecclesiarum incorporationes, à tempore Cōstantiensis synodi factas, reuocandas & irritandas: ne forte cortisanus beneficiorum & ecclesiarū gurges, tandē absorbeat oīa.

De schismaticis gratis reconciliandis. Articulus cxi.

¶Sed quàm est illud gemendum & flendum, quod tota Bohemia ad priscam ueramque fidem conuersa fuisset iamdudum, si licuisset illud per hoc desperatum cortisanorum uulgus, qui illis Bohemis ultro ad se redeuntibus, piæ matris ecclesiæ gremiũ impientissime occluserunt, fidem, religionẽ, & gratiam sancti spiritus pecunia æstimantes, & quingenta ducatorum millia petentes. Om̃es ergo schismaticos, gratis in gratiam recipiendos. & neque Bohemis, neque Indis, neque Agarenis, neque Græcis & Aegyptijs, neque Antiochenis, neque Aphricanis, alijsve schismaticis errorem suum agnoscẽtibus & relinquẽtibus, gremium ecclesiæ claudendum: foreque breui, ut sic nullo precio accepto, tot' mundus iterum amplectatur pietatem Christianam, præ gaudio pia exultante ecclesia.

De ethnicis & infidelibus conuertendis. Art. cxij.

¶Quin ad omnes schismaticos, hęreticos, & infideles & barbaras nationes, prudẽtes sanctosque uiros allegandos, qui omnes illos ethnicos ad religionem Christianam reducant.

De schismate Græcorum tollendo. Articulus cxiij.

¶Cum om̃es illos barbaros, Indos, Aegyptios, Tartaros, tum Græcos reconciliandos, qui olim à

pietate desciuerunt, propter diram cortisanorum cupidinem, atque inexplebilem atque sacram auri famem, hoc modo tandem ad papam rescribentes: Potentiam tuam agnoscimus, Tuam auaritiam adimplere non possumus, Viuite per uos. O magnam philargyriam.

De Mahumeticis & Mesquitis. Articulus cxiiij.

¶Verum pontifici maximo, nostroq; potentissimo Cæsari, cunctisq; principibus Christianis enitendum, uti & Turcæ & Mahumetici & Mesquitæ, sectam suam & superstitionem gladio duntaxat uindicantes, in primis expugnentur, uti uel sic Christianis sit accessus ad terrã sanctam, nostriq; Iesu sanguine consecratam: à qua iterum, ut olim, primũ fides in totum mundum ingeratur.

De reformatione curiæ Romanæ. Articulus cxv.

¶ Et non solum pertinax hæreticorum, sed & cortisanorum uulgus perdundum, atq; illam barbaricam gentem ab urbe Roma profligandam, atq; eorum loco maximos legũ oratores, uirosq; facriloquos undiq; terrarũ selectos sufficiendos, quorum prudentia mundus illustretur, sancta fides defendatur, imperiũ (ut olim) augeatur, & ecclesia dilatetur. Qui deniq; pie, sancte, & latine exarẽt rescripta, digna mitti ad reges, ad principes, demarchos atq; comarchos. Nimis enim indignum est, adeò barbaras bullatasq; bullas à Roma eloquentiæ fonte emanare. Quin decet breuia & rescripta

& diplomata apostolica, pio, casto, puroq; sermone componi atq; conscribi. Omnes itaque excessus atque abusus, à curia Romana tollendos.

De impia barbarie tollenda. Articulus cxvi.

¶ At nunc quàm ridicula, quàm insulsa, quàm horrida rescripta ueniunt à Roma, ut merito dicatur, horrida barbaries Romam occupat. unde repulsa, uenit ad Germanos prisca illa & germana eloquentia, uenit & ad Gallos. Proin omnem barbariem ab ecclesia eradicandam. Neque diuinũ officium uernacula lingua dicendum, neque barbarica uoce sacrum faciundũ, ut fit apud Lutheranos. Quin in præclaris gymnasiis treis illas linguas, à Christo in cruce manibus expansis probatas, tradendas, ut uel hoc pacto semp habeat ecclesia uiros stylo exercitatos, & ad scribendum appositos, qui ualeant eloquio, qui præstent scientia, qui facile errores hæreticorum confutent, qui nostram religionem ueris scripturis & ratione tutentur armati eloquentia, ut illi solent antiqui sanctiq; patres, contra Iudæos, gentes, & ethnicos, & impios hæreticos.

De rhythmis & horis canonicis. Articulus cxvij.

¶ Illos quoque ridiculos, leues, molestosq; rhythmos, diuinis ab officijs runcandos & extirpandos, atque patrijs ritibus optima quæque colẽda, atque unum officium ex illis conflatum, per uniuersam ecclesiam, quæ una est, instituendum, quo

inter sacra utantur ecclesiastici. Atque quo nemo sese ab illo excuset, illud quàm breuiter, quoad fieri potest, absoluendum.

De his qui non legũt horas canonicas. Art. cxviij.

¶Et quãdo datur beneficium propter officiũ, quisquis hoc neglexerit, illo carere debere, nec illum facere fructus suos, quin ipso iure huiusmodi ignaui hominis sacerdotiũ uacare, ipsumq́ ad fructus sic iniustè perceptos, condemnatum iri. Sunt enim uentres pigri & cortisani pessimi, quàm plurima quidem habentes beneficia, sed nulla facientes officia.

De rerũ pmutatione. Art. cxix.

¶Item & illa rerum sacrarum commercia prohibenda, quæ sub uelamine pmutationis fiunt. Facile autem collusio detegitur, quum magnũ cum paruo sacerdotio commutatur.

De collusiõe detegẽda. Art. cxx.

¶At ecqs obsecro uerbis adsequatur, quot collusiones, quot sycophantias cortisani committãt in sacerdotijs nanciscendis? Qui dum sibi, utpote inidoneo, soboli ve spuriæ dare nequeat, iam tũc aliqs alius subornatur, qui illũ, ut aiũt, custodiat.

Quæ ipso iure uacent beneficia. Articulus cxxi.

¶Et ideo ipso iure uacare beneficia quę in rem simoniaci custodiuntur, quæ ve simoniace uel per

collusionẽ parta sunt, q̃ve ultra unũ possidentur.

De pœna simoniacis infligenda. Articulus cxxij.

¶Et quoniam nihil cortisanus pœnis ueris terret, pœnæq́ exacerbari debẽt, quoties multis grassantibus exemplo opus est, illum inquam effœminatum hominem, tanquam primum hæreticum & maiestatis reum, & omnium sceleratorum pessimum, morte multatum iri, si posthachuiusce criminis compertus fuerit, eius beneficium non solũ ipso iure uacare, sed & eum flaminio exuendum. Quod si fiat, & ira cælestis placabitur, & terra quiescet.

De quibusdam legibus tollendis & interpretandis. Art. cxxiij.

¶Et quando multa pontificum consulta Hadrianus põtifex maximus in dubium reuocauerit, & nos quoque in rem præsentem uenientes, illud conabimur, nõ quod aliquas leges uelimus sugillare, Penelopesve telam retexere, aut cornicum oculos configere, sed quod pro tempore conducat leges mutare. Atque ideo multa iura, tum pontificia, tum imperatorum, antiquanda: quędamq́ non ut præcepta, sed ut consilia interpretãda, quæ longum esset hic enarrare. Enarrabimus autem, imò nonnihil iamdudum dixerimus.

De c. de multa. Art. cxxiiij.

¶Haud equidem silentio præteriero illud c. De

multa, quod de multa cortisanorum processit aua ritia, quo admodum multa animarum millia peri ere perpetuum. Atq; ideo illud prorsus abrogandum, atque unumquenque contentum esse debere uno beneficio. Imò monstrosum & impossibile fore, quem plura habere in Christi ecclesia sacerdotia, cum etiam uix uni satisfecerit. Hic enim & ius diuinum, & lex æterna repugnant, ut hoc ef fusius est uidere apud Iohannem de Lig, cui astipulantur & iurisperiti, & theologi, qui non assentantur uæsanis cortisanis. Neq; enim oportet lau dando augeri malitiam.

De facultatibus. Art. cxxv.

¶Atque proin posthac non amplius dispensandum, quem habere posse uel duo beneficia, ut illi dicũt, passibilia, uel (ut aiunt) patibilia: tantum abest, ut liceat facultates habere, ut quis ad duo incompatibilia (ne dicam patibula) admittatur. Impassibilia sunt enim hæc.

De reseruis. Art. cxxvi.

¶ Has item (ut aiunt) reseruas, ut quis ad duo triave millia aureorum, pensiones ex sacerdotijs ecclesiisve annuè soluẽdis abligurire possit, & has funditus extirpandas.

De opulentioribus sacerdotijs. Articulus cxxvij.

¶Quo ratio tamen illius capituli De multa, ser uetur, recte censuerim opulentiora illa sacerdotia, quæ trecentos ducatos eove amplius ualent, tũ no

bilibus, tum uiris sciẽtia præstantibus conferẽda.

De monstrosis beluis & beneficiarijs, onustis beneficijs. Art. cxxviij.

¶An quisquam fuerit qui nũc patiatur & illud, ut unus aliquis cortisanus nebulo, prorsus ecclesię inutilis, imò pessimus tenebrio, cẽtum habeat sacerdotia, ut unus lupus ueluti gurges, absorbeat, quæ uel toti ciuitati, quanuis magnæ, suffecerint? Quod & ethnici execrarier. At nunc uidere licet, ut ille ceu lupus rapacissimus, decem ecclesias depascatur. Et hic ut rudis onager & tardus asellus, septẽ dignitates portat, nec eius auarus saccus fuerit explebilis unquã. En alius tanquam bubalus, uiginti sacella totidẽq́ aras gestat in naribus. Alius ut urus agrestis, duodeuiginti ecclesias, totidẽq́ præbẽdis cornibus adfixis, plateam peruerrit, caudam iactando popello. Hic autẽ ut tortuosus camelus, ut immanis Polyphemus saltans, treis episcopatus, totidemq́ abbatias & prælaturas baiulat. Hic ut immanissima belua, ut crassus elephantus, castra sacerdotiorũ plena defert. Hic haud secus ac canis in præsepi, cẽtum & eo amplius usurpat sacerdotia, quibus ipse nec utitur fruitur, nec alium uti frui patitur. Ille uero in morem suis, aureum gestat in naribus annulum, & instar porci saginarij centenis beneficijs extantem uẽtrem, uix satiare potest. Sunt quoque uaccæ pingues, in quas inuehit Amos propheta, quæ omnia litibus emulgent sacerdotia, sed nuuquam uenientes ad mulctram. Quid quod sunt qui tanquam Behemoth, ut est apud Iob, & uillas & urbes & montes & syl

uas depascuntur, omnesq; præbendas absorbent quasi uorago, has omni in luxu & fastu consumentes? En illud nobile uulgus ut uiuit ex eleemosynis? Siccine pauperū bona diuites possident, in his quoque pompam agētes? Siccine uaccas pingues, lupos uoraces, truces leones, syluestres ursos sacra Christi ouilia obambulare, & eius oues mactare?

Quibus conferenda beneficia. Articulus cxxix.

¶ Quare nisi unum beneficium cōferendum nemini, quanuis nobili. & quidem solum tali, qui dignus, quive bene meritus est de rep. Christiana, q ve duos tresve annos iurisprudentiæ sacrisve literis operam nauauerit, librosve probe studuerit, et non sit spuria proles.

De clericis non residentibus. Articulus cxxx.

¶ Nec illud conniuendum, etiam prætextu consuetudinis, ut quis fructus sacerdotij percipiat, nisi resideat ipse, studijve causa abfuerit, morbusve aut senectus, uel alia necessitas obstiterit.

Viuentis beneficium ne quidem à pontifice conferendū. Ar. cxxxi.

¶ Et quando in Lateranensi concilio recte sancitum fuerit, ut ne quis impetret uiuentis sacerdotium, hanc quoque legem ad summum pontificē extēdendam, idq; propter cortisanos, adeò opportune & importune solicitantes eum, uti uel sic euitetur uotū captādæ mortis. Et ut ait iurecōsultus,

improbus est q de uiuẽtis hæreditate solicitus est.

De bullatis doctoribus.
Articulus cxxxij.

¶ Et neutiquam illud ferẽdum, ut in cathedralibus alijsve ecclesiis, ubi doctores instituũtur dun taxat, illuc impudenter ingerat sese cortisanus nebulo, eove uersum surrepat pessimus, uelut asinus Cumanus, cum bulla benebullata sua. Qui item atque graculus inter musas, inter ueros doctores stet doctor indoctus, doctor inquam bullatus, ne dicam prorsus analphabetus, ignorãs quam profitetur scientiam, ut meritò dicatur ardelio. Scilicet hæ subtiles Romanæ curiæ practicæ, scilicet hæ uæsanorum cordesanorum prudentię, nũmos corrogare, simoniæ prætextum facere, multa bene ficia accumulare, & omnem ordinem ecclesiasticum inuertere.

De confirmatione & consecratione prælati. Art. cxxxiij.

¶ Cęterum si pontifex maximus episcopum, uel episcopus abbam consecrare recuset, nisi ptimum data pecunia, eum per sacerdotem consecrari posse, si tamen illum aliquod præclarum gymnasium dignum censeat, qui præficiatur ecclesiæ.

De dispẽsationibus. Art. cxxxiiij.

¶ Dispensationes, ne dicam cum Bernardo dissi pationes, quæ sine causa simoniaceve dãtur, q̃ve contra summam diuinãve legẽ fiunt, prohibẽdas.

Haud iniuste regem Anglorum lege

solutum. Art. cxxxv.

¶ Cum tamen Henrico illustrissimo pariter, & olim Christianissimo Anglorum rege iuste dispen satum esse, quem pōtifex maximus lege soluit, uti relictam fratris absque prole decedentis, uxorem ducere posset.

De clādestinis matrimonijs irritandis. Articulus cxxxvi.

¶ Porro clandestina spōsalia & matrimonia ab ecclesia irrita & nulla habeantur expedit. Idq; pro pter multarum rerum discrimina atque incommo da. Atq; proin nullas censeri nuptias, nisi quæ tribus edictis proclamatis, coram ecclesia fiant, idq; uel omni tempore.

Non dispensandum circa clandestina contubernia. Art. cxxxvij.

¶ Neque hac lege quem soluendum, uti priuatis in locis & in aliquo conclaui clancularia fiant cōtubernia. Et subinde uisum est, quem sic binas & iniustas contraxisse nuptias.

De secundis nuptijs. Artic. cxxxviij.

¶ Si alter coniugum aliquò uersum sese diuertendo, septennium abfuerit, alterum posse secundum ciuiles sanctiones, alteras facere nuptias.

De affinitate. Art. cxxxix.

¶ Si aūt in tertio quartove gradu affinitatis, ma

trimonium sine dolo contractum fuerit, illud non dirimendum. Quinetiam absque dispensatione illud constare posse, & quidem nulla data pecunia. Turpe enim est legibus illudere, illisq; fraudem facere, & nisi pecunia quē lege soluere. Et quid obsecro refert legem condere, si statim q̃ spes nummi fulserit, quis eadem soluatur?

De cognatione spūali. Art. cxl.

¶At operęprecium fore, cognationem spiritualem solum extensum iri inter leuantem & leuatum, & huius parentes, inter item baptizantem & baptizatum. Porro in Confirmationis sacramento neminem adhibendum, nisi sacris initiatum, qui confirmandū nominet ac teneat. Quo fiet, ut multa pericula & scādala ab ecclesia & eius sacramentis eliminentur.

De adulterijs & stupro. Art. cxli.

¶Iā uero in adulteros, mœchas & stupri cōpertos, item & uirginū cōstupratores, incestuosos, aliosq; nefarios animaduersū iri sane q̃ grauissime.

De lenis & lenonibus. Art. cxlij.

¶Ac illud esse turpissimum in sancta Christi ecclesia, ut episcopi, archidiaconi, archipresbyteri lenoniam artem exerceant, & lenas, lenones, adulteros, & pellices, & focarias, & alias id genus lupas, sub annuo censu foueant, tributove teneant, uti sic & ipsi lenones more lenonū uiuant, & quæstum lenonium faciant, idq; turpius atque hæ quę corpore quæstū faciūt, quæve quæstuaria corpora domi habent.

De flagitiosis. Art. cxliij.

¶ At illud piaculare flagitium, quod apud Germanos flãmis expiatur, quod apud Italos & molliculos cortisanos in urbe grassatur quàm plurimum, procul ab orbe Christiano profligandum, & ignibus exurendum.

De bullis bullatis. Art. cxliiij.

¶Et quidem hoc flagitium mõstrosum ualde: at longe magis mõstrosos mores in bullis bullatis cortisanus, ut est onocentauri simillimus, exprimit: nẽpe quæ amplius sexcentas, & eas plane barbaras, ridiculas & ineptas, clausulas cõtinent, omne ius deludentes, omnia abrogantes, cælum & terrã confundentes. In quibus etiam ad omnia & quæcunque, & qualiacunque, & quantacunq;, & quantaquanta, & qualiaqualia, ad duo, tria, quatuor etiam incompossibilia, & ubiuis gentium, & sub eodem tecto conceduntur beneficia à pontifice maximo extorta crudeliter. Atque hoc utcunque ferundum, Sed passim in bullis improbissime extortis, ab horrẽda simonia absolutio inseritur. At uereor ne non mihi dies suffecerit, si singulas illarum bullarum nugas bullatas recensérem, quibus tota ecclesia Christi sanguine mũdata commaculatur. Adeò hoc pestilens & barbasculum cortisanorum uulgus, illis in suis bullis bullatis hallucinatur & furit. Sed hac de re nunc quidem pauca, sed aliàs plura. Quare & his quoq; malis finis imponẽdus.

De derogatorijs derogatoriarum clausulis. Artic. cxlv.

¶Atque omnes illas clausulas contra ius machinatas, reijciendas, præsertim quas uocant derogatorias derogatoriarũ clausulas, semel iterum, tertio, quarto, quinto, aliquanto repetitas, ut nihil ferme sit tutũ, quod uel iuste uel benigne concessum fuerit.

De cõcordatis Germanicæ nationis. Articulus cxlvi.

¶Et quanuis sanctissima sint fœdera inter cortisanos atq; Germanos percussa, illis tamen omnibus in bullis derogatur. Quare nec hoc tolerandum magis.

De aurea bulla. Art. cxlvij.

¶Illam quoque auream, ne dicam ferream, bullam multa absurda complectẽtem, abrogandam, quatenus contra ius fuerit & rationem.

De gratis conferendis beneficijs. Articulus cxlviij.

¶Atque ut hoc habet antiquitas, beneficiorum collationem ad ordinariũ pertinere, nec propterea sacerdotia esse affecta, si quis beneficiarius moriatur Romæ. Certa tamen beneficia põtifici maximo reseruanda, quibus & suis & bonis uiris consulat. Atque proinde gratis beneficia conferenda, & quidem sine diminutione.

De uarijs reseruationib. Art. cxlix.

¶Illas aũt reseruatiões mẽtales, pectorales; capitales, pedales, atq; adeò subter puteal latentia s

cerdotia,reseruata nō reseruanda amplius,ut quæ cortisani sibi reseruent,totū mundū hoc modo di uexātes, atq; oīa beneficia litigiosa reddētes, atq; mōstrosos mores habentes instar onocentauri.

De precibus & nominationibus. Articulus cl.

Preces tñ regales septenniū solū durare,alias ue ro noīatiōes gymnasiis impartitas,haud facile de rogādas, nec preces nisi semel sortiri locū debere.

De iure patronatus. Artic. cli.

¶Multo magis ius patronatus illæsum cuiq; ser uandum,nec illi(ut fit in bullis bullatis) derogandū,quod nefas quoq; fuerat apud ethnicos. Quin beneficium nec permutari posse, nisi cum patroni consensu.

Haud facile quem lege soluendum. Articulus clij.

¶Et quando dispensationes multa inferunt in mundum scandala,ante prius perquirēdum,quid honestū,quid utile,quid necessariū, quàm quis sol uatur uel lege uel canone.

De ordinandis titulo patrimonij. Articulus cliij.

¶At hoc fore nimis absurdum & impium, aliquid à sacris initiandis exigere. Atque ideo patrimonij aliove titulo promouēdos,gratis ad sacros ordines admittendos,nec opus fore ut huiusmodi bona mortificentur,ut ne hoc quoque prætextu si

moniaca rabies fortassis desæuiat.

De cessione beneficij. Art. cliiij.

¶Nec quem suum cedere posse sacerdotiũ, nisi & episcopi & patroni accedente consensu, idq́ gratis, & nullo ære dato.

Vnũquenq; pastorem suas oues pascere oportere. Art. clv.

¶Ecclesiis uero tanquam pastorem, præficiendum esse neminem, nisi qui uel iuris, uel sacræ theologiæ prestans scientia, treis quatuorve annos libros studuerit, & tum uerbo dei tum uitæ exemplo oues suas pauerit. Nec illud, ut uocant, *Placet de Seruituræ, nec, Placet absentiæ, quod nullis placet, amplius placere debere.

*locutio cortisanica.

De mercenarijs. Art. clvi.

¶Hos autem subdititios conductitiosq́; pastores, suffectitiosq́; plebanos, posthac nequaquã ferundos, nec beneficia nec ecclesias elocandas. Sed oportere unumquẽq; pastorem suæ presidere ecclesię, & suas & Christi oues pascere, illasq́; cognoscere & defendere.

Vt auctiones cortisani faciunt. Articulus clvij.

¶Illos igitur impios non tolerandos, qui auctione facta ecclesias publicant, & uænum exponũt, eos qui has pluris licitauerint, præferentes, nihil curantes quanta sit prouincia, animarũ curam suscipere: sed illud tantum querentes, quantum annuè ecclesiæ suppeditent. Has itaq; dignitates, benefi-

cia, officia, non elocanda. Quod cum in ciuilibus, tum in ecclesiasticis negocijs turpissimum fuerit, quod isti cõductores & redemptores, propter elocatoris improbitatẽ subinde rogantur illicitas exactiones facere. Et istis personatis pastoribus & dominis nil aliud est curæ, quàm pecuniam in pessimos usus uertendam corradere, saccum auarum farcire, & rebus in oĩbus luxuriarier, interim ouibus & hinc & illinc deglubendis.

De uarijs cortisanorum technis & sycophantijs. Artic. clviij.

¶Et quando sexcentos amplius dolos, fraudes, technas & sycophantias, improbus & uersipellis cortisanus paucis iam annis molitus est, propterea magna illa ad futuros casus reseruata, cõfictas ꝑmutationes, annexiones, uniones, affectiones, reualidationes, iniustas nominatiões, ad duo, triave quatuorve incompatibilia dispensationes, simoniacas clausulas, iuris'q; derogatorias, facultates, surrogationes, reseruationes, regressus, aggressus, accessus, actionum cessiones, commendas, pẽsiones, atque earum redemptiones & translationes, atque alias id genus cortisanorum technas, sycophantias, nugas'q; nugacissimas prorsus abolendas. Scilicet hæ subtiles cortisani practicæ, omnium negociatorum uafriciem superantes.

De gratijs expectatiuis. Art. clix.

¶ Et quoniam dirus cortisanus ubiq; gentium ueluti Coryceus auscultat, passim proditores habens, uti beneficia iuste possidentium per fas atq;

nefas euincat,ne dicam rapiat:& quidem non mo rientium beneficijs contentus, nisi & uiuentiū sacerdotia ambiat,semper ut coruus inhians prædę, & ceu uultur edax,expectans usque cadauer: ideo has quoque gratias expectatiuas,tollēdas. Licere tamē pontifici max.iubere uel episcopo uel principi,uti uiro bono de repub.Christianà q̄optime merito, pauperive clerico nullū sacerdotiū habenti, unum aliquod beneficium uacaturū conferat.

Nihil exigendum à nouitijs canonicis & monachis. Art. clx.

¶Iam uero tum canonicos,tū monachos, gratis & sine magna mora recipiendos,& ne quidem prandium à nouitio fratre exigendū.Nam & hoc quoque simoniam olet,& plane impium & hæreticum est,si creditur maioribus nostris, & sanctorum patrum institutis.Omnis enim canonicus,est monachus: illumq́, ceu monachum, uiuere decet subiectum episcopo suo.

Inuestituram beneficij gratis dandam. Articulus clxi.

¶Et ne quidem pro inuestitura beneficiarij officiarijve ecclesiastici,accipiēdum quicquam.Tantum abest ut rapiatur quantum collatum sacerdotium in annuo bimove trimove prouentu ualeat. Et quando Simoniaci causant & cerā esse caram, & scripturam magno constare, si hæc duplū precij non excedant,nihil est quod ipsi querantur.

De gratis consecrandis ecclesiis &

altaribus. Art. clxij.

¶Nihil item emũgendum pro dedicatione arę, consecrationeve ecclesiæ, sacrisve initiandis: sumptus tamen moderatos, ut hoc statuit antiquitas, consecranti dandos præstandos.

De cœmiterijs. Art. clxiij.

¶Et cœmiteria nullo ære dato nuncupanda, & polluta iterum reconcilianda, solum multando q̃ id facinus admiserit.

De iureiurando. Art. clxiiij.

¶Et quando cortisani passim aperiũt uiã periurijs, dũ à summo sacerdote absolutionẽ à quouis sacramento extorquent, ideo super iureiurando ab ethnicis etiam ad mortẽ usq; seruato, haud ita facile dispensandum, & ne quidem cum rege. Interpretari tamen licere, num iuramentum sit seruandum, & si id iure liceat, iam tum demũ absolutionem impartiendam, idq; sine pecunia.

De uarijs dispẽsationibus. Art. clxv.

¶Nec in uoto castitatis, nec in alijs casibus facile quẽ lege soluendũ, ut statim q̃ spes nummi fulserit, nunc cortisani faciunt, tanq̃ macellarij in basilica diuorũ Petri & Pauli id adnutãtium Romæ sedentes, & ex domo dei speluncam latronum facientes. Has ergo Simoniacas aliasq; iniquas dispensationes, ipso iure non ualere, imò magis obesse q̃ prodesse.

De uoto castitatis, obedientiæ & paupertatis. Artic. clxvi.

¶ Ac illud uitio dandum quàm maxime, unum aliquem monachũ duobus ducatis à religiõe soluere, illũ ve cappa exuere, ac ad humanos usus deo dicatum applicare, ac diabolo deuouere, ac adeò uili precio ex monacho apostatam facere, ac animam uendere. At hoc quoq; cortisanorum inuentum, quo pariant pecuniam, laudi ducentes, multos corradere nummos.

Cathedrales & collegiatas ecclesias, iterũ suis episcopis subijciendas. Articulus clxvij.

¶Et quando canonici olim erant monachi, suis subiecti episcopis, quãuis cum certis ex causis, tum eo quòd hi pastores eorũdem, terrarum principes essent, in illos quandam tyrannidem exercerẽt, ab horum iurisdictione exempti essent, hodie tamen admodum conducere, iterum illos (haud secus ac monachos suis abbis patribus) suorum speculatorum potestati subdere. Eò ẽm, proh dolor, eò uersum nunc uentum, ut longe satius fuerit, has omẽs exemptiones, olim quidem pie concessas, raro tamen, nunc uero ansam peccandi præbentes, prorsus abrogare, quàm earum prætextu rebelliõis ansam arripere, licentius uiuere, uitam ceu belua silentio traducere. Quid quod hi, dum ut fratres in uicem uiuerent, leoninam quãdam societatem ineunt, semetipsos etiam deuorãtes, atq; prementes, nulli iustitiam facientes, nullam regulam seruantes, tanquam oues sine pastore errantes, sese omni scelere scelerantes, ut sanguinarij sues uiuentes, in

terim nec superos,nec inferos curantes? Scilicet hi nunc sunt nostri monachi,ne dicã, irregulares cãnonici,qui exemptionis prætextu ita nunc insolescunt,atq; adeò insaniunt,ut cum maxime. Volũt quidem omnes esse canonici,sed canonice uiuere nemo. Quos operæprecium fuerit iterum subdere episcopo, quasi non præstaret homines hic parum uexari,quàm eorum animas in futuro seculo adeò perire perditè. Cæterũ si cui fiat iniuria,iam tum pontifex maximus prouocandus erat,qui illos ab episcoporum pressura defendat, ipsiq; episcopi uerum pastorem, non raptorem, non lupũ, agere discant.

Gratis admittendos sacerdotes ad sacra facienda. Art. clxviij.

¶ Indignum fuerit, sacerdotes ad studium uniuersale accedentes, non ante ad celebrandas Missas admittere,q̃ aureum dependerint.

Sacramenta nullo ære dato conferenda. Art. clxix.

¶ Fas item non esse,pro confessione,eucharistia,aliove sacramẽto quid exigere. Sed quid ego dicam? Omnia nunc prostant,sacra uænum exponitur ædes unà cum ipso deo.

De lenonio quæstu qui fit in sacerdotes. Art. clxx.

¶ Nefas item esse,à sacerdotibus focarias nõ habentibus,annuum emulgere censum:quod non licuerit, etiam si has illi foueant, quum & hoc leno

nij quæstus instar habeat, ab his annuũ tributum: exigere, qui domi suæ alibive stabulatum scortel lum enutriunt.

Quàm hodie indignis dantur sacer- dotia. Art. clxxi.

¶Deum immortalem, quàm hodie dispẽsantur inique, quàm indignis dantur sacerdotia? Et cum Mantuano loquamur,

Ecce Ioues, Drauci, Ganymedes, atq; cinædi. Item indoctæ, ludicræ, scenicę personæ, sacularij, circulatores, longe potiores sunt hodie in nanciscẽdis beneficijs, quàm uiri studijs delassati, & uirtute conspicui. Quin his elinctores, muliones, agasones, tenebriones, ac sycophantę atque palpones præferuntur. Quid quod sues immundissimi ac fuci ignauissimi, & lupi rapacissimi, uiris integris & ingenue doctis potiores habentur? Atque proin sacerdotia nõ nisi doctis uirisq; bonis danda præstanda.

De quæstoribus eleemosynarum. Articulus clxxij.

¶ Haud admittendos item illos eleemosynarũ quæstores, qui quæsturam elocatam exercẽt, qve libros parum studuerint, quive sacerdotes non fuerint, quive pro diuis quasi tabernæ præpositi, cũ sanctorum reliquijs sursum deorsum cursitant. At quid hi quæstuarij prædicatores non effutiũt? qd non garriunt? quas non confingunt fabulas? quos denique suaues non comminiscũtur sermones, quibus imponant aniculis & plebeculis?

De indulgentijs. Art. clxxiij.

¶ At qd impij cortisani hodie nõ factitant, qui etiã hæreditatẽ Christi expilãt, & matris ecclesiæ uirginis thesaurũ cõturbant? Et indulgentiarũ pecuniã undiq; terrarũ corrasam, in suos illos usus nefandissimos cõuertunt, nõ item in rem destinatã, dum stipẽ coactã prodigũt. Atq; proin huic negocio alios atque alios ꝑficiendos, q sacras nuncient indulgentias, qui thesaurum ecclesiæ in casus futuros custodiãt. Quoties em̃ hinc frustra sunt nũmi coacti, pro Turca profligando, pro tẽplis, pro aggeribus extruendis? Neq; proin tam stultas remissionum causas, in bullis inserendas. Cæterum q sacrum thesaurum ecclesiæ compilauerit, haud secus ac parricidam multandum.

De casib. reseruatis. Art. clxxiiij.

¶Illud aũt licere, ut oĩs pastor atq; cõfessor absoluere possit ab oĩbus criminibus, q̃uis immanibus, & id itẽ in casibus uel põtifici max. uel episcopo reseruatis, exceptis tamẽ excoĩcationũ sententijs per iudicem inflictis, & quibusdam alijs.

Haud mendicandum presbyteris. Articulus clxxv.

¶Vt uituperio datur amplissimo ordini ecclesiastico, gentem electam & regale sacerdotium ostiatim mendicare? si tamen sancto creditur Hieronymo. Proin pontifici maximo & Cæsari ter optimo præstandũ, uti ab his sceleſtis, qui tot tantaq; sacerdotia aggregarunt, hæc auferantur, æqualiter diuidenda pauperibus, ne forte hi esuriant, il-

li autem luxurient,& baccho indulgeant. Quid enim aliud beneficia, quàm pauperis Christi eiusq; pauperum patrimoniũ, merçq; eleemosynæ? Quibus tamen hi nobiles & eleemosynarij superbiunt, & cristas tollunt, caudam iactando popello.

De publicis cõcubinarijs. Art. clxxvi.

¶Et quãdo multi infami corrũpuntur spectaculo, q; mystæ ac symmystę Christi cõcubinas habeant, ideo & hos compescẽdos. Illum autem sacrificum perpetuos in carceres conijciendum, qui de noctu scortatus, ueniẽs ad aram sacra facturus accesserit. Si enim lege duodecim tabularum sit expręssum, Impius ne audeto placare donis iram deorum, sancte uota redduntor, pœna uiolati iuris esto: Quanta inquam pietas, quãta sanctitudo expetenda est in Christi sacerdotibus, qui idem atq; ille dei filius ac uirginis proles fecit, sacrificãt deo patri?

De sacerdote publici criminis reo. Articulus clxxvij.

¶Atque proinde hunc flaminio exuendum, qui adulterium, homicidiumve, aliudve sæuum crimẽ admiserit.

De sceleratis clericis. Art. clxxviij.

¶ Porro quanuis patrijs sit legibus cautum, semel, iterũ, tertio, monendũ esse clericũ, tamẽ id nemo facit hodie. Et ideo clerico capitalis criminis reo, & inquisitione per iudicem ecclesiasticum desuper facta, quàm mox illum sceleratum brachio seculari addicendum.

De uita & honestate clericorum. Articulus clxxix.

¶At illud admodum indecorũ arbitror, Christi sacerdotes esse mulierum asseclas, ut nobilis deducat ignobilem: ut deo sacer, mulieri semper adsistat, cui etiam rex seruiret.

De nigris & albis monachis. Articulus clxxx.

¶At operæprecium fuerit, monachorum quoq; insolentias refrenare, illosq; ad priscam uiuendi regulam reducere: & quidem in primis albos illos & nigros monachos, quos abbæ patres ecclesiis sibi conferendis præponũt, illos inquam, suis in monasterijs manere debere, neque eis mundũ, cui renunciarũt, habere licere. Proin isti abbates, uiros doctos ex aliquo gymnasio deligendos, huiusmodi ecclesiis præficerent: & eorum monachi adeò multa facientes scandala, in suis claustris iugiter sederent, haud secus in pisces in aquis, suasq; partes agerent: deoq; sacri, uoti ꝓmissum seruarẽt. Quorum malis ni obuiet, ni monachi suis stent in cœnobijs, actum est de ecclesia.

De Benedictinis & Bernardinis. Articulus clxxxi.

¶Quando aliq Cistertiẽses & Benedictini nunquam uescuntur carnibus, aliqui autem, ut priuilegiarij, ter id per hebdomadã faciunt: ideo uel nullis, uel omnibus id licere, ne forte sit delectus inter monachos, qui ad unam uiuendi regulam, uitam

adeó rigidam, adeó ſanctam inſtituunt,

De Carmelitis. Art. clxxxij.

¶Hos item fratres de monte Carmelo uenientes, quos Heliadas Baptiſta Mantuanus Carmelitarum decus appellitat, & ipſos inquam ad cõcordiã reducẽdos, ne uel ulla ſint inter eos ſchiſmata.

De Auguſtinianis. Art. clxxxiij.

¶Iſtos quoque anachoretas & Auguſtini ſacerdotes, ne & ipſi deinceps inſoleſcant, ad priſcã uitam reflectendos.

De mendicantibus monachis. Articulus clxxxiiij.

¶ At quid ego dicam de iſtis Terminarijs, Minoritis, Prędicatoribus, alijsq́ mendicantibus, qui peruagantur & uicos, & uiculos, & uillas, & pagos, & angiportus omnes? qui cuncta peragrant caſtella, oppida & oppidula, ſub religionis habitu oſtiatim mendicantes, pauperum eleemoſynas intercipientes, & illas auide abligurientes, quãuis poſſeſſionibus abundent? Hi ſunt, ut ille doctor Parrhiſianus in ſynodo Conſtantienſi egregie declamauit, hi ſunt inquam, qui circumeunt in melotis, & ambulant in pellibus caprinis, q quoquouerſum ſeſe proripiunt, & ſurſum deorſum curſitant, ut unum faciant proſelytum &c. Hos ergo compeſcendos, atq; ni fallor, haud ſcio num expediat hos mẽdicitatis ſaccos tollere. Eó enim, proh dolor, eó uentum eſt hodie, ut præſtet & hos mo

nachos in cellis ſtare, quàm ſic euagarier.

De p̃dícatoríbus. Art. clxxxv.

¶Et quando Dominicanos non decet eſſe diuerſos, ideo & hos ad unam uiuendi normam iterum adſtringẽdos: atque hoc mare magnũ, quod habent, in quo merguntur omnia, ad inferos deriuandum, neque eos amplius cum ſaccis mendicare debere, cum ſint hodie locupletes ualde, panes emendicatos non ſibi, quoniam pudet, ſed pauperibus manducandos tribuentes.

Solís Francíſcanís mendícandum. Artículus clxxxvi.

¶Atque proin ſolis Franciſcanis, quando nihil proprium tenent, mendicare licere, iuſtis tamen diebus. Cæteris autem qui poſſeſſiones habent ampliſſimas, id prohibendum.

De dyſcolís S. Francíſci ſacerdotibus. Artículus clxxxvíj.

¶Cæterum quando Franciſcanorum alij Minoritæ, alij Obſeruantes, alij Nudipedes, alij Collatæ, alij Vagantes dicantur, & admodum parum inter hos conueniat, aliã atq; aliam uitam agẽtes: ideo tantum illos Minoritas in eccleſia, quæ una eſt, decorãdos, q uerã obſeruant diui Franciſci regulã, à ſancta ſede apoſtolica probatã: cæteros uero ab eccleſia diſturbandos, optione tamen eis data, an hanc uel aliam ingredi religionem uelint, ipſorũq; poſſeſſiones opulentas, alijs tenuibus cœnobijs applicandas.

De Cle dudũ tollẽda. Art. clxxxviij.

¶Et haud ſcio, num conducat illam Cle dudum ſeruare, & neutiquã profecto: adeò iſti mendicantes monachi ſeſe paſtorum ingerunt officijs, adeò multa mala in ſancta dei eccleſia perpetrant, ordinem etiam hierarchicum perturbantes, ut non immerito contra bullam mendicantium ſcripſerit ille Gerſon. Nõ quod uelim huic Cle uniuerſim derogatum iri, quin illos monachos ad declamandũ uerbum dei eligendos, qui tum ſcientia, tum moribus pręſtent, quos item aliquod famigeratum gymnaſium dignos & appoſitos ad id negocium arbitretur.

De cruciferis. Artic. clxxxix.

¶En & Cruciferi mendicare incipiunt, & officium prædicandi uſurpare, & ſatis inſolenter uiuere, & diuagandi anſam arripere. Et ideo hos quoqꝫ reformandos, ne fortè ex Cruciferis in furciferos tandem degenerent.

De terminarijs. Art. cxc.

¶Hos itaqꝫ peruagatores compeſcendos, quos uulgo Terminarios & Stationarios uocant, q̧ moribundis muſcipulas tendentes, ſuauia uerba cõmiſcuntur, & uerbis uenuſtulis adulantur, & blandiloquentia perſuadent aniculis, uti eis eorumve monaſterijs bonam partem bonorum ſuorꝫ relinquant. Vt ergo coruis hiantibus illudatur, talia legata & fidei commiſſa, ad iniuriam ſuorum hæredum relicta, pro non ſcriptis habenda, ut ne fortè ſui & legitimi hæredes luctuoſa parentum hęredi

tate defraudentur, & omnis hæreditas tandem ueniat ad extraneos, atq; adeò ad hypocritas & uulturcs cadauer expectantes. Hic tamen alia pia legata non damnauerim, quæ data legata fuerint piis locis.

De Cartusianis. Art. cxci.

¶ Illud autem concedendum Cartusianis, apud quos uera latet religio, ut ingruente necessitate, liceat ipsis uesci carnibus, illisq; diebus quibus solū pane & aqua uictitant, uti lactuarijs, illumq; rigorem relaxandum paululum.

De religiosis canonicis. Art. cxcij.

¶ Hos quoque monachos, quos uocant Regulares canonicos, non sic euagari debere: quinimo & hos ad concordiam redigendos, ne sit inter eos uel dissidium, uel scandalum.

De Cluniacensibus. Art. cxciij.

¶ Illos item Cluniacenses, uel potius Clinicos, ad pristinam uitam retrahendos, ne posthac sint adeò dyscoli, adeò morosi.

De lege agraria. Art. cxciiij.

¶ Et quādo ecclesiasticis laici subinde submurmurant, monasterijs & ecclesiis tandem omnes agros copulatum iri, ideo certam legem agrariā de quantitate prædiorum rusticorum præscribendam, ultra quam uel mercari, uel ab intestato succedere non licebit, modò sint opulenta monasteria. Porro si tenuia sint, certam pecuniariam sum

mam uitalemve pensionem hæredes defuncti eis dare præstare oportere.

Quot recipiẽdi monachi. Ar. cxcv.

¶Atq; ideo nõ plures monachos monachasve recipi debere, quàm de bonis monasterij uiuere possent commode.

De uirginib⁹ deo dicatis. Art. cxcvi.

¶At operæprecium fuerit, uirginum deo sacrarum confessiones, ab ecclesiarum parochialium pastoribus, aliove quouis sacerdote quotãnis semel audiri posse: nec eas uelo sacro nubendas, nisi cum ad plenam pubertatem aspirauerint.

De Beguinis. Art. cxcvij.

¶ Et Fratricellorum & Beguinarũ regulas, aut approbandas, aut reprobandas esse.

De uarijs monachis. Art. cxcviij.

¶Et Guilielmitas, & Cælestinos, & illos Begardos, Nolhardos, & Circuncelliones, & deniq; oẽs monachos et mõachas, ad sanctã uitã reducẽdos.

De fastuosis & superbis monachis. Articulus cxcix.

¶Virginalia aũt monasteria, ab his mẽdicantibus monachis nõ gubernãda, q in miseras Christo deuotas uirgines quandã exercent tyrannidẽ. Sed hisce mõasterijs curatores dãdos, ne fortè hi boni patres huiusmodi bona ꝓdigãt, excõpilata uirginũ deo sacrarũ pecunia, q̃ litẽ intẽdant in urbe, & rubros emãt galeros, summos ambiẽtes honores.

De Iohannitis, & alijs nobilibus monachis. Articulus cc.

¶ Obuiandum est denique illis monachorum petulantijs & lasciuijs, qui Domini Theutonici & Iohannitæ uocantur, qui in locum Templariorū (uno die ad unum usque cæsorum) successerūt, ut ne adeò cristas suas erigant, neve luxurientur admodum, neve ecclesiæ bona dilapident. Quam(ut debent) non solum non defendunt, sed etiam deserunt, illius interim bona in suos pessimos illos usus conuertentes, atq; plus satis insanientes, atq; in omni luxu fastuq; uiuentes.

Monasteriorum exemptiones tollendas. Articulus cci.

¶ Postremo conduxerit, omēs monasteriorum exemptiones tollere, quarū prætextu adeò insolescunt monachi, & oīm malorum occasionem arripiunt, & obedientiā spernunt. Quęq; ergo monasteria suis episcopis (ut olim) subijcienda, & eorū priuilegia cōtra ius & regulam per cortisanos improbe impetrata, tollenda. Religiosis ergo sufficere, uti ad normā à patribus institutā uiuant, nō tamen eos ab ordinarijs opprimendos. Quod si fiat, ipsis appellare licere.

De archimandritis. Art. ccij.

¶ Prospiciendum denique, ut ne isti abbę patres adeò inflati intumescant superbia, neve serica gestent, neve cum pompa incedant, neve pauperū eleemosynas subtrahant.

Ad legem Carolam, de ualidis & externis mendicantibus. Ar. cciij.

¶Porro quantum ad prophanos mendicantes pertinet, equidem operæprecium duxerim hic illã legẽ Carolam inserere, hoc modo expressam: Sanus fortisq́ corpore, ne mendicato, liberosq́ artificium doceto. Nec alienos mendicare sinito: peregrinos autem & uiatores, in xenodochijs hospitio accipere fas esto: hactenus tamen, ut eis tessera ab officiario detur. Idem pie sanxerit, ut ne quis migret & emigret de loco suo cogendę stipis gratia, nisi doceat, inũdatiõe, incẽdiove, bellove, aliave calamitate sese coactum id facere.

Quando sit mendicandũ. Art. cciiij.

¶Proinde non mendicãdum, nisi statis horis iustisq́ diebus, idq́ ostiatim, non itẽ in templis.

De xenodochijs. Art. ccv.

¶In xenodochijs itaque peregrinos & hospites recipiendos, atque in ea re patrias leges pie institutas seruandas.

De nosocomijs. Art. ccvi.

¶Et qui morbosi aut uitiosi sunt, suis in nosocomijs alendos.

De ptochotrophijs. Art. ccvij.

¶Et pauperes incolas in ptochotrophijs enutriendos.

De gerontocomijs. Art. ccviij.

¶Et ſenes in gerontocomijs recipiendos.

De orphanotrophijs. Art. ccix.

¶Orphanos autem & pupillos ab om̄ibus deſertos amicis, in orphanotrophijs hoſpitandos, & cum adoleuerint, arte aliqua imbuēdos, ad quam magis ſint appoſiti.

De brephotrophijs. Art. ccx.

¶Similiter & infantes & expoſititios pueros, in brephotrophijs educandos: & ipſos quoq; cum puberes facti fuerint, pro ſuo quenq; ingenio bonis artibus imbuendos.

De aſcetrijs. Artic. ccxi.

¶Deniq; in quibus habitant moniales, aſcetria tuenda ſunt iugiter: neq; has, neque illas religioſas domus, tam diris exactionibus opprimendas, ut (proh dolor) nunc eſt ſubinde uidere.

De frumentaria lege. Art. ccxij.

¶Poſtremo reuocandam apud Chriſtianos illā frumentariam legē, olim ab ethnicis latam de annona pauperibus aſſignanda, uti uel ſic cōſulatur egenis. Quod ſi tantum curæ erat id gentibus, q̄d noſtrates facient? At hodie contra ius quoque opprimuntur miſeri & calamitoſi, etiā in iudicijs.

De tyrannis & eorum legibus, Articulus ccxiij.

¶At iam nunc ueniendum ad illud genus hominum, qui ſub prætextu iuſtitiæ religionisve, iniquas leges exprimunt, qui iniuſtitias exarant, per

iniquitatem pauperes oppressuri, qui miserum rusticum ad uiuum usque deglubunt, qui teste Dauid de regio uate,& spiritu dei afflato,deuorant plebem dei sicut escam panis,qui undiq; cruenti, sanguinem plebis ingurgitant, miseros angentes, & horum sudores absorbentes. Qui ecclesiam Christiq; sacerdotes persequuntur,qui tenues excarnificant,miserosq; trucidant:qui alienas miserias, suas delicias faciunt,& subditos angariāt,hos suę seruituti,ut Pharaones,subijcientes, interim neq; pupillo,neq; uiduæ, neque calamitosis personis iudicantes,miseros inter iudicia quoq; opprimentes: quin ui armata omnia tenentes, & ius in armis exercētes,nulla pacta seruantes. Quibus est & pro ratione uoluntas,qui odio habent sapientes, & doctos auersantur,ipsi insipientes atque indocti. Et ideo om̄ium tyrannorum leges antiquandas,& eorum uim cohibendam,& malitiam ab ecclesia auferendam,omnemq; crudelitatem & inclementiam tollendam,ut tandem sit pax ecclesiæ.

De dorophagis & tyrannorum captiuis. Artic. ccxiiij.

¶Et quid crudelius, quid inclemētius,quid inhumanius horum Pharaonum tyrannide, qui, ut dorophagi sunt,munera semper quærūt, & insontes in uincla cōijciunt, & tenues duplici cōtritione cōterunt,qui ex homine truces in beluas degenerant,& in feras immanissimas efferantur: adeò sunt importuni,inhumani, atque adeò intractabiles: usque priuatum,nunq̄ uero publicum bonum quærentes:& sua semper, nunquam reip. commo

da sectantes, omnia per fas atque nefas rapientes at que uorantes, malorum inuētoris amantes: & ut ha beant similes labra lactucas, dorophagos, impro bos, palpones, delatores diligunt & amant: ut me rito uulgo dicatur, Multæ regum aures, multæque manus & uentres. Hos igitur Martes reges cōpe- scendos, & leges pauperum oppressorias, & pri- uatum lucrum olentes, abolendas: & hosce doro- phagos tanquam repetūdarum reos, plectendos, & insontes à tyrannis in uincula coniectos, à car- cere soluendos.

De bello iusto & iniusto,
Articulus ccxv.

¶Quid quod sunt tyranni, qui longe magis in ciuē quàm in hostem desæuiunt, cum hoste etiam col- ludentes? Deum immortalem, ut sese mactant ho mines? Rapiuntur ad orcum uno sæpe die millia multa nimis. Proh pudor pudor, si tamen est ullus uel uspiam pudor. Simulataque bella exercent, mi- serum illum rusticum interim ultro citroque deglu- bentes, inuicem colludētes, & hincinde ciues ex- enterātes, & miseros exossantes, cōmunemque præ dam pariter diuidentes. Quare cum bellum sit res teterrima, omnemque superet tyrannidem, illud in repub. Christiana, quam decet esse tranquillā, non suscipiendum, nisi causa cognita, id Cæsar geren- dum decreuerit, eiusque autoritate bellum indictū fuerit: quod inter Christianos extremum iustitiæ remedium fuerit, quo uel sic tyrannus & prędo ui olentus comprimatur. Qui si rei iudicatæ non pa ruerit, regnove, quò sese uiolenter ingessit, sponte

ſua non ceſſerit, iam tum militari quoque manu fiat executio, cunctisve bonis proſcriptis, cenſuræ bannove, ut aiunt, imperiali rebellis ſubijciatur.

De crimine læſæ maieſtatis. Articulus ccxvi.

¶ Ac igitur qui iniuſſu principis bellũ geſſerit, arcemve tenuerit, caſtrave conceſſerit, exercitũve comparauerit, hunc inquam tyrãnum haud ſecus ac maieſtatis reum, punitum iri.

De Turcici belli impenſis. Articulus ccxvij.

¶ Quando omia regna deus eccleſiæ ſubiecerit, certaq́ꝫ terrarum dominia comarchis atqꝫ demarchis in feudum data ſint, ut & eccleſiam & imperium defendãt: decet principes Chriſtianos ſuis, nõ item ſubditorũ, impenſis exercitum cogere. Quorſum enim aliàs regalia & fiſcalia?

De ducibus & comitibus. Articulus ccxviij.

¶ Atqꝫ proin ſi quis demarchus ſiue comarchus, aliusve heros imperio rebellis fuerit, ſuppetiasve eccleſiæ contra hoſtem non tulerit, illum & feudo priuandum, & tanq̃ publicũ hoſtem multandũ.

De latrunculis & prædonibus. Articulus ccxix.

¶ Illorum quoque principum reprimendam tyrannidem, qui in aula ſua enutriunt aulicos, eoſdemq́ꝫ latrunculos, atque prædones, atque graſſa-

tores pessimos. Adeò hi homines Silenum inuertunt. Horum itaque castra, atque adeò spelæa latronũ, demolienda, & hosce tyrannos ultimo supplicio plectendos. Idq; uel à populo. Sic aliquando tandem fiet, ut mercator securus iter faciat. q̃d indubie interest reip. sane q̃ maxime.

De ducibus factionũ. Art. ccxx.

¶Qui autem hostes concitauerit, quive opẽ hosti tradiderit, tumultumve fecerit, pœnam capitis dato.

De repræsalijs, sequestrationibus, atq; ut uocant, arestis. Art. ccxxi.

¶Verũ si qua ciuitas, comarchusve, aut demarchus, uel gens aliqua cuipiam fecerit iniuriam, damnumve dederit, illis inquam repræsalias indicẽdas: haud tamen id facile, sed uel principe, uel superiore autore, & causa cognita: si forte ciuitas aut rector prouinciæ iustitiam facere recuset aut negligat, iudexve aliquis à quo non appellatur, per pecuniam aut fauorem uel per imprudentiam, iniquam dixerit sententiam. Hasce tamen repræsalias non prorogãdas ad pauperes, ecclesiasticasve ꝑsonas, quive allegati sunt, quive studij causa absunt, quive legationis munere fungũtur, quive ad nundinas pergunt, cæterosq; alios atq; alios: neq; res facile sequestrandas, nexuve cõstringendas, ut fit hodie.

De iure gentium non uiolando. Articulus ccxxij.

¶Impium item esse, cum aliquæ terræ inundentur, ut aqua paulatim dilabente, illę propterea publicentur & confiscentur. Sed eas suis dominis saluas manere debere, sensimve cataclysmo cessante, alluuionis alueive ius competere, illisq́ accrescere terras, qui confines agros possident. Ius itaq́ gentium in hisce alijsve casibus iugiter obseruandum, illosq́ tyrannos ad prædiorum restitutionē teneri, qui illa quondam mundata, & iam per hos centum annos à ueris dominis iustè possessa, haud ueriti sunt proscribere.

De rebus cōmunibus, publicis, & singulorum. Art. ccxxiij.

¶Et illud nimis tyrannicum, populum Christianum nō posse liberè uti frui his rebus, quæ uel iure naturali sunt cōmunia, uel publica, uel iure gentium, singulorū: quod tamē ethnicis licebat. Atq́ ideo unicuiq́ fas esse, in mari publicove flumine piscari, ingenue item in syluis uenari, aues prædari, aut canibus circundare saltus. Item capere ceruos, hinnulos, lepores, cuniculos. Itē captare perdices, coturnices, ficedulas, querquedulas, rusticulas, phasianos & phasides aues: atq́ id genus feras & uolucres, uulgo habere licere, illasq́ de iure gentium, primum occupanti concedi debere.

Quarum rerum æterna sit autoritas. Articulus ccxxxiiij.

¶Atq́ proin res de summa lege communes, iureve gentium publicas, aut singulorum, præscribi usuve capi non posse, haud secus ac quarū æterna

eſt autoritas. Nec ideo huiuſmodi feras uolucres ve capientes, illisve rebus utentes, ab illis tyrannis puniendos, qui conantur quatuor illa rerum elementa ſuis manibus conſtringere.

De reb⁹ furtiuis aut naufragio eiectis cõmiſſo nõ tollẽdis. Art. ccxxv.

¶Illas item leges peſſimas antiquandas, illas iniquiſſimas conſuetudines abrogandas, quarũ prætextu res furtiuas, naufragiove eiectas, tyrãni cõmiſſo tollunt. Vt ne inuito domino palàm rapiat tyrannus, quod clam domino fur ſurripuit, clepticulumq́ꝫ cleptes ſuſpẽdat patibulo. Eſt autem, eſt boni magiſtratus, ciuiũ res tueri, nõ itẽ inuadere.

De portorijs, uectigalibus, & commiſſis. Art. ccxvi.

¶At at, quàm eſt illud horrendum in Chriſtiana republica, quum mercatoribus, uectoribus, & nauigantibus tam dira portoria & uectigalia imponuntur? Quod plurimum fit, ut hoc manifeſtò eſt uidere, propter Rhenum fluuium: ubi principes & tyranni adeò inhumana, adeò immania extorquent uectigalia. Atque id ſemel, iterum, tertiò etiam in eodem territorio, miſeros mercatores hoc modo ſpoliantes, & caritatem uinorum & aliarũ rerum mercalium ad ciſrhenanos inferentes. Illa ergo importuna portoria, uel prorſus tollẽda, uel ſaltem temperanda. Neque ob nõ ſolutionem uectigalis, merces commiſſo tollendas, ſed id cum altero tanto, loco pœnæ præſtandum, modò iuſta ſint portoria.

De exactionibus. Art. ccxxvi.

¶Illas autē intolerabiles exactiones, quibus decima bonorum omnium, fructuumve dimidium crudeliter extorquetur, de cætero non tolerādas.

De regaliȷs & rebus fiscalibus. Articulus ccxxviȷ.

¶Igitur principes contentos esse debere suis regaliȷs, necnō rebus & priuilegiȷs fiscalibus iure debitis. Onerosa autem tollenda.

De superindictis. Art. ccxxviiȷ.

¶Et ne superindicta ordinaria excedant tributa, nisi publica necessitate cogente, idq́ communi populi suffragio.

De conductitiȷs officiariȷs. Articulus ccxxix.

¶Et repetundarū & ambitus reos, acerrime puniendos: nec tolerandos hos conductitios officiarios, illosve tyrannos & magistratus qui dignitates & officia elocant, & aliȷs uenditāt, & quidem tanti plurimo, quāti licitari aut auctione facta uenundari possunt. Qua in re, pessimi officiariȷ & redemptores, potiores habētur, idq́ sane q̄maximo reip. damno, & ad miserum uulgus magis ac magis euiscerādum & exossandum. Qua sæua tyrannide (mea quidem sententia) nihil est in rep. dāno sius, perniciosius, aut pestilentius. Quam tamen adhuc nostra memoria tum prophani, tum ecclesiastici principes inuenere, tanquam lernam malorū omnium.

De luxu & fastu aulicorum temperando. Artic. ccxxx.

¶Prospiciẽdum quoque, ut ne isti duculi & aulici nostri tanto in luxu, tantoq́; in fastu uiuant, q̊d ita fit hodie, ut cum maxime. Adeò hi proceres et aulici luxuriant, in uestibus, in operis, in operibus, & denique in rebus omnibus. Quæ res effecerit, ut breui iam tempore tot exactiones indictæ fuerint magno malo nostro.

Ad legem Carolam de uestibus. Articulus ccxxxi.

¶Acideo ne sic populus suus opprimeretur, sancte edixit pius imperator Carolus, ne quis demarchus, neve comarchus, neve quis alius heros uestẽ auream argẽteamve gestato, neve quis opus plumarium, acusve auro obrizo, argentove pustillato intextum, segmẽtatumve deferto. Neve quis tunicam aureis segmentis, bracteolis, lanceolis, mæandris, orbiculis aut lineis uariegatum habeto. uestis appellatione latam institam comprehendens.

De uestibus holosericis. Articulus ccxxxij.

¶Solis item ducibus & comitibus, quive illustres, quive decuriones, quive senatores, quive patritij fuerint, quive magistratu fulgẽt, his inquam licere deferre uestem holosericam bombycinãve, uel item purpuram coccumve bis tinctum, siue dibaphum gestare, Cęsar statuit.

De luxu mulierum reprimendo. Articulus ccxxxiij.

¶Proinde & luxuriem mulierum nobilium reprimendam in uestibus ornamentisq́ꝫ, præcipue per Germaniam, ubi pileatæ incedunt haud secus atq́ꝫ uiri.

De sumptuarijs legib. Art. ccxxxiiij.

¶Et quando Cato Censorius magnam curam cibi, magnam uirtutis incuriam esse dixerit, ideo & modum & continentiam in epulis quoque seruandam. Atque proin illas leges sumptuarias reuocandas, atque has in nuptijs alijsq́ꝫ tempestiuis cōuiuijs tum populo tum principibus præscribendas, duosq́ꝫ ut olim censores statuendos, qui leges sumptuarias & ædificiorum seruent, quas & Lycurgus olim apud Lacedæmonios instituit, ut luxuriæ modus fieret. Imitētur ergo Christiani principes hac in re uel ethnicos, ne uel tali prætextu sic plebs excarnificetur.

De concussoribus. Art. ccxxxv.

¶Et concussores animaduertendos sane quàm seuerissime. Quin illos, ut diualia docent rescripta, flāmis & ignibus amburendos, eo quòd & ipsi miseram plebeculam multis diuexant iniurijs & contumelijs atque rapinis, nonnihil miseris prætextu officij interminātes, pecuniam extorquētes, & innocentes concutientes, quos etiam in carcerē conijciunt, & hos & ipsorum bona nexu constringūt, & quaslibet res pignori capiunt, & simulato prin

cipis iussu, dignitatis & officij intuitu tenues con terũt, & ipsi sontes insontibus crimen minantur. Hos ergo solum ad magistratum, ad officia adsci scendos, qui & locupletes sunt, & deum uerentur, q & iusti sunt, & misericordes, & pij in pauperes, non item hos tenebriones pessimos, quos tamen auari principes Martesq; reges, potiores habent, quo magis atque magis per fas & nefas à subditis emulgeant pecuniam.

De fiscalibus calũnijs. Art. ccxxxvi.

¶ Hosce quoq; delatores & procuratores fiscales, qui miserum popellum in iudicijs calumniantur & opprimunt, grauissima pœna multandos.

De exactoribus. Art. ccxxxvij.

¶ Atque proin omnes has exactiones, iam primum nostra memoria quadam inolita tyrannide à principum Martiumq; regum assentatoribus in ductas, plane delendas. Et ne quidem necessarias exactiones, nisi uniuerso populo consentiente, indicendas: nec eas, si non soluantur, ab his qui soluendo non sunt, uel commode soluere nequeunt, duplicandas, triplicandas, quadruplicãdas, ut nũc tyranni faciunt.

De uarijs exactionibus, soli rustico indictis. Art. ccxxxviij.

¶ Verũ si ingruẽte necessitate, opus sit forte exactiõibus, illas in nobiles & rapaces officiarios, & ciues ditiores & magistratus, & illos quæstores q subinde fiscum principis depeculantur, primũ im

ponenda, non autem solum in hos miseros rurestres atque uillanos, quibus hodie infligũtur oĩa, qui ab omnibus angariantur tyrannis, depressi censibus, uectigalibus, angarijs & perãgarijs, indictis, superindictis, & saluiago, quanuis ipsi enutrire debeant interim & tyrannos, & scurras, & pauperes, & milites, & clerum: & præter hos, seipsos cum familia, ut uix supersit eis uel unus supparus.

Quæ res censendæ fuerint. Articulus ccxxxix.

¶Atq; proinde non res esculentas & poculentas, censendas aut exactionibus grauandas, sed solum res luxuriosas: nempe sericum, purpuram dibapham, pannum auro obrizo segmentatũ, opus plumarium, segmina. Item piper, cinnamoma, nuces myristicas, floresq; myristicos atque saccarum, atque alia id genus aromata atq; species ad uectigal pertinentes, quas enumerat Martianus iurecõsultus xix. Pandectarũ libro, titulo de publi.

De operis p̃standis. Art. ccxl.

¶Nimis item crudele est, illos præstare operas qui soluunt tributa. Atque proin populum pro iugerum solum, capitumve numero censendum.

De coactoribus. Art. ccxli.

¶Hos item coactores & tribunos & quæstores ærarij, comprimendos, qui (ut unum ex pluribus referam) prætextu exactiõis inflictæ, ad uillas, pagos & uiculos, certas mittunt literas, illam miserã & plus satis attritam plebeculam, post exactiones

& coactiones omnes, suprà modum angariantes. Et hos nimirum,ut illos concussores, uiuos cõcremandos,uti uel hoc supplicio frenet sęua tyrãnis.

De apparitoribus. Art. ccxlij.

¶Haud equidem uerbis adsequar, ut isti nuncij, tabularij & apparitores, miserum popellum angustant,dum uel edicta circũferunt, uel executiones faciunt,modum supra modũ excedẽtes. Quare & hos quoq; plectẽdos oppidò q̃ seueriter.

De militibus. Art. ccxliij.

¶Dura quidem hæc. At magis est tyrannicum, tempore pacis habere milites iam potius exautorandos,illisq; gregarijs prædonibus populũ concutere,ut faciunt tyranni ad terrorẽ ciuium & paganorũ. Et si fortè in duras exactiones q̃ mox nõ præbeatur assensus,bellũ quoq; interminantur,hostisq; subornato bellum bellatores indicunt.

De re militari. Art. ccxliiij.

¶Cæterum si propter extremum iustitiæ remedium,fortè sit opus bello,aut uis ui repellẽda,iam tum illos seligẽdos milites, qui rem militarem & calleant,& obseruent: neque illos (ut proh dolor, fit hodie)in uillis & oppidulis statim hospitãdos, popellum comesturos, sed eos in maioribus ciuitatibus collocandos,suo inibi succo uicturos,non item subditorum carnibus & sanguine satiandos, ne hos per illos tyrãni,ut lupi rapaces, prorsus deuorent. Atque proin militi sua stipendia in singulos menses solutũ iri. Quod tamen sanguinis pre

cium subinde tyranni detinent. Porro si milites in uillis castrametati fuerint, hoc cedere in defalcationem censuum & tributorum, quæ à miseris uillanis extorquentur, & interim duplici contritione conteruntur.

De copiarũ ducibus. Art. ccxlv.

¶Et ut omnis oppressio cesset in bello, tales copiarum duces & tribunos militum, & magistros equitum eligẽdos, qui & diuitijs & uitæ sanctimonia præstent, qui rem militarem edocti, subditos non opprimant. Et ut Aurelianus apud Vopiscũ rescripsit, tribunus, si uiuere uolet, ut manus militum contineat, ut nemo alienum pullum rapiat, ouem nemo contingat: Annona sua miles cõtentus sit: de præda hostis, non de lachrymis prouincialium habeat: In hospitijs caste se agat: Qui litẽ fecerit, uapulet. Hęc ille. Quod si olim apud ethnicos, quid facient Christiani? Cęterum si præfectus militum, delinquentem militem corrigere neglexerit, ipse de suo, quod interest eius qui damnum passus est, restituat, reb⁹ eius eousq; pignori captis dum id fecerit.

Stipendia militum non defraudanda. Articulus ccxlvi.

¶At quàm est illud reipub. graue, populo crudeliter censo, stipẽdia militum immaniter exacta, subtrahi, & iterum populum crudeliter angariari. Proin qui illa defraudauerit, & in suum auarum saccum inuerterit, ut furem insignem & peculatus reum, morte multandum: ut & hoc olim edi

xit Peſcenninus Niger imperator.

De captiuis & poſtliminio reuerſis. Articulus ccxlvij.

¶Et nimis eſt durum, Chriſtianũ captiuũ quęſtionibus ſubijci, direcꝙ torqueri ad extorquēdam pecuniam. Qui etiã adeò excarnificatur, ut ſit uel hoſti miſerandus. Atque proin Chriſtianũ à Chriſtiano captũ, certa pecunia ex fiſco & ærario conſtituta, quàm mox redemptum, iure poſtliminij gaudere debere.

De ſclopis atꝙ bombardis tollendis. Articulus ccxlviij.

¶Atat, quàm eſt illud horrēdum cuiuſdam monachi Germani (ne dicam, Vulcani) inuentum, ut apud Chriſtianos eſſet bombardarũ uſus, quibus tot millia uno momento in bello caduntꝰ Non ergo has contra Chriſtianos, ſed potius in Turcam utendas.

De gregarijs ꝑdonibus. Art. ccxlix.

¶Illos autem gregarios prædones, tanquam publicos hoſtes & graſſatores uiarum, tum principibus tum populo licere occidere, qui autorati non fuerint, quive ſua autoritate freti, per omnem terram ut quædam lues peruadunt, ut quædam calamitas om̃ia deuaſtantes & rapientes: quive om̃ia communia fore adſtruentes, furantur, prædantur & diripiunt, quaſi omni die omnia diuidenda eſſent, cum ne quidem alterius rem liceat concupiſcere. Alioqui mundus qui perduraueritꝰ

De unionibus & incorporationibus. Articulus ccl.

¶Minus autem tolerabile est, ut ecclesia spoliet ecclesiam, ut cortisanus impius per uniones, annexiones, incorporationes, suas ditet ecclesias, alienas autem spoliet, quas incorporando & inuiscerando deuorat auarissime, cultu neglecto diuino. Deniq; ut episcopus, idemq; pastor, Christianum gregem dilaniet, durisve indictis exactionibus, à clero pecuniam emulgeat. Omnes ergo has uniones, & ecclesiarum annexiones, & decimarum incorporationes, monasterijs, capitulis aut prælatis citra Constantiensem synodum factas, reuocandas & irritandas: ne fortè pastores sic spoliati, & suffectitij & suppostitij parochi, qbus impij cortisani ecclesias grauissimis pensionibus exhaustas elocarunt, sacramentis uenditis, oues Christi dilacerent. Porro si ecclesia neq; dotem neq; decimas habeat, æquas iustasq; præstationes, ut & hoc usu uenit, obseruandas.

De decimis. Art. ccli.

¶Omnes itē decimas, præsertim ex noualibus soluendas, has suis ecclesiis & pastoribus miserè à laicis spoliatas, restituendas. Quas tamen ecclesia in Lateranēsi illo concilio non alienauit, nec principibus in feudum olim concessit. Quo factum est, ut tyranni multas decimas de iure diuino ecclesiis debitas, ui possideant, suis finibus non contenti, nisi & domum dei, in qua decimas suas deus ipse, ut cibus esset in ea, cōdidit, crudeliter inuadant & spolient. Et nimis est durum, ut prophani (& mul-

to min' canonici & cortisani) decimas pastoribus dari præstari solitas, usurpent. Oẽs ergo decimas illas, ecclesiis restituendas. Et quas olim necessitate cõpulsa ecclesia distraxit, illas posse redimi.

De publica pœnitẽtia. Art. cclij.

¶Ecclesiasticis & manifestis criminibus spiritalem pœnitẽtiam satisfactionemve, ut solet antiqtus, imponendam, non item pecuniam extorquendam. Neq; oportere miserũ peccatorẽ bis punire.

De peregre profectis. Art. ccliij.

¶Ac ideo peregre profectum, si uel leui iudicio cum iureiurando id affirmauerit, haud ipsum iterum atq; iterum peregre mittendum.

De electionibus. Art. ccliiij.

¶Atq; adeo suis finibus hi prophani tyrãni contenti non sunt, ut etiam in ecclesias, electione reiecta, sese suosve liberos uiolenter intrudant. Minus ergo crudele fuerit, ut aliquo moriente episcopo, abbate, aliove prælato, isti aulici suos filios etiam spurios, per uim monasterijs præficiant, qui annuas etiam pensiones extorqueant: quod & episcopi, quod pudet dicere, facere non uerentur. Proin prælatorum electiones has, liberas esse debere, atque omnes pensiones sic inflictas, reuocandas: & illas commendas, quas nemo commẽdat, infirmandas: quandoquidem, ut ait scriptura, non est arandum cum boue & asino. At magis est ridiculum, si id fiat cum boue & onocẽtauro adeò moroso, neque dominici iugi neque arandi assueto, imò prorsus inutili, semper comedente, & nunquam aran-

te. Atq; proinde in monasterijs in abbam eligendum neminem, nisi qui similem regulam professus fuerit, uti uel sic cortisanorum pstigijs obuietur.

De uia spiritus sancti. Articulus cclv.

¶Porro cum sub uelamine spiritussancti multæ fiunt hodie electiones illicitæ, uno eligente, in quo non spiritus ille benignus, sed malignus loq tur, ut qui illum precio subinde corrumpi molitus est: hinc operæprecium fuerit, illam uiam amplius non ferendam, aboleri: sed communi suffragio arbitrisve electis, electionem celebrari.

De grassatoribus. Art. cclvi.

¶ Ciuitates, castra, principes, qui publica itinera non tutantur, nec latronibus depopulatoribus ve aut grassatoribus prouinciam purgāt, illos inquam mercatori & uiatori ad damnum passum teneri, & culpam latam & dolum ipsos præstare debere: alioq repræsalias illis indicere licere, uel eorum res pignori capere, illasve nexu constringere, quoad damnū passo satisfactū fuerit.

De homicidis. Art. cclvij.

¶Homicidiū autem uoluntarium, dolove commissum, etiam refraganti statuto, sanguine piandum. Casuale uero, necessariumve, nō adeò, sed solum pro modo culpæ percellendum.

Ad legem Carolam de ebriosis homicidis. Art. cclviij.

¶Tametsi lex Cornelia de sicarijs, ut sit in omi crimine capitali, dolum requirat, haud tamen iniqua fuerit, imò iusta illa lex Carola, quę noluit homicidium aliudve atrox scelus temulētia cōmissum, à suo senatu remitti. unde de dolo hic suspicato recte sanxerit: Quisquis homicidiū aliudve crimen temulentus admiserit, apprehenditor: in illumq́ bifariàm animaduertitor. Quin utrunq́, & ebrietas & ipsum factum, animaduersum esto: illudq́ facinoris crimen absque misericordia punitor. Adeò Cæsari illa monstrosa & sæua ebrietas, iam totum per orbem peruadens, odio fuit.

Ad legem Carolam, de temulentis officiariis. Art. cclix.

¶Neve quis homo bibax, neve potitādi assuetus, neve ebriosus, officiarius esto: neve quis bibulus magistratum gerito. Quin hominem talē magistratu spoliato, & iudicē ebriosum exautorato: neve hūc, neve illū pristinæ dignitati restituito.

De ui publica & priuata. Articulus cclx.

¶Illos item, qui publicam uim aut armatam fecerint, capite plectēdos: qui autem uim priuatam admiserint, illis uel igni, aqua, tectoq́ interdicendum, uel relegandos esse. Proin per ciuitates & uillas non gestandos gladios, nec arma sumēda, nec tela gerenda, nisi uiatori.

De furibus beneficiariis. Articulus cclxi.

¶ At, qui maiores fuerint prędones, ac illi cortisani, qui uerum dominum spoliantes, datam (ut aiunt) concessi beneficii, ut falsarij, anticipãt? Tantos itaq; sacrilegos, flammis & ignibus consumendos, haud secus atque fit Romæ qui rescripta falsauerint.

De falsarijs, notarijs & monetarijs. Art. cclxij.

¶ Et quando nullum sit crimen ita reip. exitiale, ut crimen falsi, id inquam flagitium (quod ita grassatur hodie, ut cũ maxime) animaduersum iri sane quàm maxime. Atque ideo falsarios monetarios atque scribas, tabularios, logographos, logistas atq; notarios, falsi cõpertos atq; conuictos, capite puniendos.

De una ueraq; moneta habenda. Articulus cclxiij.

¶ Et quando fuerint qui fisci commoda quærũt semper assentantes, æstimationem pecuniæ nunc intendentes, nunc remittẽtes, utcunque uisum est principis ærario hoc cõducere: hinc operæpreciũ fuerit, unam ueramq; monetã currere, neque materiam quampiam falsari, neque ponderi detrahi, neque pecuniam circuncisione minui, quibus mirum in modum populus expilatus est, & respublica depeculata, idq; nostra memoria, q̃ semp grassata est tyrannis immanissima.

De maleficijs. Art. cclxiiij.

¶ Illos item maleficos & ueneficos comburen-

dos, qui ſegetes uitesve excantauerint, quive lac ſegetemve alienam pellexerint, quive lingua aut uoce lemure aliquo adiurato effaſcinantes hominem iumentumve incantauerint, faſcinove præſtrinxerint.

De monopolijs. Art. cclxv.

¶Cuiq; licere pro ſuo iure mercarier, & ubiuis gentium quæſtum facere. Atq; proin omnia monopolia à libera Chriſtiana repub. tollenda, atq; eiuſce criminis reos, grauiter multandos.

Ad legem Carolam de monopolijs. Articulus cclxvi.

¶Et ne quis monopolium exerceto, neve quis conuentiones, ſtatuta, cõuentus, collegia, pactave illicita inito. Neve propalàm res ſingulas carius uendẽtem tolerato. Qui ſecus faxit, proſcribitor: & res huiuſmodi commiſſo tolluntor.

De precio rerũ. Art. cclxvij.

¶Sanxit item Cæſar, precia rerum eſculentarũ & poculẽtarum à magiſtratu cõſtituenda. Quare & hanc legem ſanctiſſimam, ubiq; gẽtium obſeruandam.

Vt iuſtæ menſuræ & pondera fiant. Articulus cclxviij.

¶Ac operæprecium fuerit, illud præſcribere, ut & carnes & piſces æquo uendantur pondere, iuſtaq; menſura ſeruetur in omnibus. Qui autem ſecus faxerit, illum proſcriptum iri.

De propolis atque Focardis. Articulus cclxix.

¶ Cum omnes propolas, tum hos cohibendos, qui Focardi uulgo uocantur, omnium rerum caritatem in orbem importantes. Et multis centenis millibus coactis, omnes res promercales quoquouersum auectas, mercantes, uniuersas prouincias rebus necessarijs spoliantes, & regiones prædantes, quin & merces ad barbaras nationes aduehentes. Proin illud Focardorum collegiū, longè reipublicæ damnosissimum, & tanquā corpus q̃ maxime illicitum, dissoluendum. Hæc enim non humana, sed rapaciū ferarum quædam est societas, utpote aquilarum atq; leonum.

Molam trusatilem unicuiq; habere licere. Artic. cclxx.

¶ Ac unicuiq; domi suæ habere licere molā uersatilem atq; trusatilem, nec quenquam compellendum ad hanc illamve molam accedere, & molitorem furacē fortassis habere. Quin undeuis gentium populo licere, & farinam importare, & reipublicæ subuenire.

De præfectis annonæ, & lege frumentaria. Art. cclxxi.

¶ Illos item plectendos, qui caritatem annonæ faciunt, atq; ideo præfectos annonæ ubilibet terrarum creandos, qui illos cohibeant, qui fame ingruente, frumentum undeuis gentium collectum & æqualiter collatum distrahant atq; dispensent,

ubi granaria reipub. defecerint, quæ frumentis oppleta in qualibet metropoli habeantur.

De externis opificib. Art cclxxij.

¶Externos item opifices, gratis admittendos, aduenisq́ licere liberè artem suam exercere, & res suas distrahere.

De aleatoribus. Art. cclxxiij.

¶Illud item summo sacerdoti & Cæsari enitendum, ut ne uel ciuilis uel ecclesiasticus princeps ludat in aleam, nisi uel repotię uel symboli soluendi gratia, Sunt enim uenationes & ludicra exercitamenta sane quàm plurima. Et nimis est durum, ut breuis hora cõsumat, quod tantis exactionibus extortum est, quod tot coactionibus & angarijs miseræ & famelicæ plebeculæ inflictis coactum est, sic multis millibus per tesseram perditis. At interim & turpe lucrũ quæritur, & alienas miserias tyranni suas delicias faciũt, & ingenua Christiana resp. ex integro grauatur & angariatur, usq́ tyrannorum diræ seruituti subiecta.

De mẽstruis usuris. Art. cclxxiiij.

¶ Vsuras quoque tollendas & menstrua fœnora, quæ abrogata etiam Cle. 1. de usur. cortisani gens pessima ęre corrupti, quibusdam in terris, q̃uis diuina lege reclamante, iterum admiserunt, q̃d ne quidem Iudæis licebat: tantum abest ut id faciat Christianus, menstruos denarios ex sorte recipiens, ut ex neomenijs fœnus crescat. Licere tamẽ argentarijs, trientibus uel quadrantibus fœnerari,

tum propter impensas, tū reipublicæ necessitatē.

De Iudæis. Art. cclxxv.

¶Nefas item esse, permittere Iudæis in Christianos exercere usuram, uersuramq; facere: & hos hoc modo spoliare, qbus merito inseruirēt etiā.

De argentarijs. Art. cclxxvi.

¶Et cum uix argētarij & mensarij propter commune bonum admittātur inter prophanos, nimis absurdum fore, ut sacris initiati argentariam exerceant: quod tamē insolentes cortisanos facere nō pudet. Sed quid non moliuntur, qui Plutum diuitiarum deum colunt, omnia etiam sacra æstimantes pecunia? & summam felicitatem, ut germanissimi sunt Epicurei, uoluptate metientes, interim nec superos nec inferos timentes?

De censibus & prædijs uectigalibus. Articulus cclxxvij.

¶Iā uerò debitori licere, cēsum redditumve frumentarium ex prædio, pignori hypothecæve dato, annuè soluēdum, aliquando tandem redimere. Porro si precium constitutum, incertum fuerit, illud ad certam quantitatem redigendum, ne fortè rusticorum fundi prædiave urbana, perpetua seruitute premātur: qualis ne quidem Iudæis olim imposita fuit, ut quibus anno iubileo, omnibus etiam distractis, possessiones & res omnes liberę redibāt.

De redditibus. Art. cclxxviij.

¶Cæterū quando magna sit cōtrouersia, quan

ti ſint redditus emendi,(id autem licere diu reſcriptum eſt)ſi inquã redimibiles cenſus certo ex fundo quotannis ſoluendi diſtrahantur,ſolum ſemiſſes uſuras conſtituendas, quæ ſextodecimo anno ſortem æquant, cum ſex in centenarium præſtantur. Minoris autem fœnerari licere, hoc eſt, quincunces uſuras conſtituere,cumve ex centenis quina penduntur annue.

De cenſibus ꝑpetuis. Art. cclxxix.

¶Et quanuis ſufficit, quantum ad uſuras trientes,quaternos ex centenis nummis quotannis dare præſtare:ternos autem,quatinus ad quadrantarias pertinet uſuras,hos tamen redditus, quàmlibet carè emptos, luere debitori licere. Quæ enim iniuria fit creditori,ſi ſortem cum fœnore cõuento ſaluam habeat, & pluris eandem pecuniam in redditus collocandam,fœnerari poſſit?

De cenſibus uitalib. Art. cclxxx.

¶Vitale autem uectigal,beſſes dextãtesve uſuras non excedere, & ſolum octo decemve in annũ creditori redire: niſi quis ſenex illud fœneratũ centeſima computauerit, quæve per biluſtre tempus modum ſortis ad duplum adduxerit, dum ex centenarijs in ſingulos annos duodena præſtantur,& centeſimis calendis centeſimove mẽſe ſortem centeſima uſura æquauerit.

De fructibus beneficij litigioſi non rapiendis. Art. cclxxxi.

¶Cæterum ſi beneficium eccleſiaſticum redda-

tur litigiosum, non propterea fructus ab istis episcopis, archidiaconis & archipresbyteris, à seculari ve principe rapiendos, sed illos, ut iuris est, uel sequestrādos, uel in usum triumphantis & obtinentis conseruandos, illosve carpophagos, ad restituendos fructus compellendos.

Annalem possessorem beneficij, non uexandū. Artic. cclxxxij.

¶Quin impium fore in pia Christi ecclesia, illi dicam indicere, litēve intēdere super beneficio in quo iustè institutus est, quodve quis, non dico triennium, sed uel annū possederit. Atq; ideo possessorem annalem, in possessione tuendum: triennalem uero, etiam in petitorio iudicio non uexandum: uti uel sic hi corui eludantur hiantes.

De quodam horrendo cortisanorū inuento. Articulus cclxxxiij.

¶Et proh dolor, hæc causa fuerit, cur paucis antè annis Roma capta fuerit, quòd cortisani, ut uersipelles & uafri sunt, per suas subtiles practicas machinabantur, omnia mundi sacerdotia litigiosa reddere. Quorum morosos mores dum Adrianus rex pontifexq; maximus, corrigere & emendare, & ab ecclesia tot eorum scandala auferre studuit, illum capitali odio persequuti sunt.

Non mihi si linguæ cētum sint, oraq; centum,
Ferrea uox, scelerum percurrere nomina possum.

En in menses singulos oīa beneficia siue uacantia, siue non, impetrant, uti sic dolo & fraude quēlibet præueniant, suis etiam protestationibus be-

neficia omnia litigiosa reddentes. Iam tum iusto possessore ad urbē citato, & edicto apud acta reproducto, lis semper pendere dicitur. Deniq; illo mortuo, sese subrogari curant in locum defuncti, ut sic futurum possessorem extrudant. Hasce proin tyrannides, cōcessiones & surrogationes & alias technas, abolendas, & huiusmodi edicta ipso iure circunducta censeri.

De feudis. Articulus cclxxxiiij.

¶Ac inhumanū fuerit, uasallum præter obsequia exactionibus quoque grauari, & ex feudo allodiove tributa soluere.

De immunitate ecclesiastica non uiolanda. Artic. cclxxxv.

¶Multo magis immunitatem ecclesiasticam iugiter obseruandam, nec illam à tyrannis uiolandam, quod (miserum) fit hodie, ut cum maxime. tametsi totum ius publicum in sacris, in sacerdotibus, in magistratibus consistat.

Haud facile ecclesiam exactionibus angariandā. Art. cclxxxvi.

¶Et qñ facile hodie Romæ exactiones in clerū cōcedunt, dū cortisan⁹ opportune importune solicitat, de hac impia pda etiā participans: quocirca illas neutiq̄ imponendas in uiros ecclesiasticos, nisi & his cōsentientibus, & notione causę phabita. Ne fortè dicat: Quid ò sacerdos fecisti? gens tua & pontifices tui tradiderunt te mihi. sic in christos, Christoq; sacros, prophano illudente tyranno.

De exactore prophano non dando in ecclesiam. Art. cclxxxvij.

¶Atq; proin solum extrema necessitate urgente, ecclesiam censendam. Neq; propterea & laico tyranno id statim exequēdum, sed ordinario, alicuive alij uiro ecclesiastico ab uniuersa ecclesia seligendo, q modū in hac exactione nō excesserit.

De bonis ecclesiæ nexu nō constringendis. Art. cclxxxviij.

¶Neq; sic bona ecclesiastica, ut passim fit hodie, à tyrannis nexu constringēda uel arrestanda, quū iure quis experiri poterit, si qua illi fiat iniuria.

De iurisdictione & executione ab ecclesia nō auferēda. Art. cclxxxix.

¶Et quando penes ecclesiam sit omnis iurisdictio, iustumq; sit, ab illo sententiam exequi, eam q tulerit, satis absurdum fuerit, uel quātulācunq; iurisdictionem executionemve ab ecclesia uiolenter auferre, quum ecclesia etiam gladium exercere possit, saltem per alium.

De priuilegio fori. Art. ccxc.

¶Atque proin clericum coram iudice laico nō conueniendum.

De clerico capitalis criminis reo. Articulus ccxci.

¶At quando hodie nemo insolentem moneat clericum, illum inquam sceleratū, si iterum capi-

tale crimē admiſerit, iam tum inquam ſolum inquiſitione facta, quàm mox brachio ſeculari addi cendum, neque tertiam admonitionem deinceps expectandam. Id quoque ſeruandum, ſi ille uim faciens, aliove modo inſoleſcens, ſemel, iterum, tertio, in facto offendatur.

Clerum à clero non angariandū. Articulus ccxcij.

¶ Et quando nouum ſit genus exactionis, ut clerus clerum excēteret, haud eſt profecto illa tolleranda tyrannis, quam exercent epiſcopi, archidiaconi & archipresbyteri, eorumve rapaces, trahaces & harpaces officiarij, in beneficiarios & quæſtores, capellanos atq; paſtores, hos diris tributis angariantes, cōcutientes & deglubētes: uel ſi cauſam id faciendi non habent, ſiniſtra quadam occaſione arrepta, falſò illis crimina obijciunt, et litem interminantur, probe diuexātes miſeros. Proin & hos concuſſores uel parricidas, puniēdos, uel pœna talionis mulctandos.

De bonis capellanoꝶ. Art. ccxciij.

¶ Omnes item capellanos, canonicorū potentia ſpoliatos, in hoc ſacro comitio reſtituendos.

De teſtamentis. Art. ccxciiij.

¶ Atq; nimis durum fuerit, pro teſtamentis faciundis extorquere pecuniam. Atq; proin clericis & presbyteris, beneficiarijs aut officiarijs, teſtari licere. Idq; nō ſolum de ſuo peculio, ſed etiam qui ſupererūt ſacerdotij fructibus, tū perceptis tum percipiendis, & quidem nulla teſtandi facultate peti-

ta uel impetrata. Neq; ualere consuetudinem, quæ morientibus adimit liberam testandi potestatē.

De testamentorum executoribus. Articulus ccxcv.

¶Multo magis cū omīa, tum illa Capitulorū scita abrogāda, ut nemo alius sit executor testamenti q̄ canonicus. Quo fit, ut nemo suum accuset collegam, rationesve exigat, ne forte claudus loripedem rideat. At interim, proh dolor, & pia uoluntas frustratur, & hæreditas expilatur.

De presbyteris ab intestato decedentibus. Art. ccxcvi.

¶Multo minus, peculium sacerdotū, eorumve bona ex beneficijs profectitia, ab istis collectoribus (ne dicam, raptoribus) direptum iri, qui sacrificorum ab intestato decedentium, uel facultate testandi non impetrata, hæreditates crudeliter expilare solent. Ad quod factum quosque pessimos & rapacissimos, illi boni patres constituunt. O impia secula nostra.

De bonis infamium personarum. Articulus ccxcvij.

¶Et turpe fuerit, meretricum, lenonum, mororum, carnificum, scurrarum, circulatorum, leprosorum, aliarumve turpium personarum, aut denique peregrinorum & aduenarum, & naturalium spuriorumve bona ab intestato decedentium, compilatum iri. Atq; proin illa uel hæredibus relinquenda, uel pauperibus eroganda.

Ad legẽ Falcidiam. Art. ccxcviij.

¶Atq; nec illud sustinendũ, uti pia legata à redẽ ptoribus & fiscalibus raptoribus defalcentur, nescio qua lege Falcidia prætenta.

De ecclesiis instaurãdis Art. ccxcix.

Atat, quàm horrendum, quàm uęsana dementia, pro sacra æde resarcienda, sartisve tectis templorum instaurandis, sæuissimos illos tyrannos extorquere pecuniam?

De sepulturis. Art. ccc.

¶Item moriones, nobiles, ecclesiasticos & religiosos liberè sepeliẽdos, neq; ualere cõsuetudinẽ, ut precio cõparata sepultura differat, iustaq́; fiant, quasi etiam à mortuis exigeret tributũ. Atq; proin iusta facere posse absq; pecunia.

De capitularib9 statutis. Art. ccci.

¶Capitularibus quoq; statutis cõtra ius editis, & auaritiæ plenis, ex quibus & multa contingunt periuria, derogandum: passimq́; sufficere leges, ab ecclesia generatim expressas. Quæ, cum ubiq; sit una & eadem ecclesia, ab uniuersis seruari debẽt, nec speciatim leges ecclesiis præscribendas, ut facit in rem suam cortisanus in regulis cancellariæ, per auri sacram famem inuentis, quibus autoritatem papæ præstigiator ille prætexit. Papę, an molitur ille & Christum & ecclesiã diuidere? Scilicet hi mores, hæ subtiles cortisanorũ practicæ, ad coaceruãda beneficia, ad miseros diuexãdos, ad nummos corrogandos?

De statutis synodalibus. Art. ccciij.

¶ Atq; proin & illa edicta synodalia cõtra ius & bonum & æquum cõdita, priuatumve commodum olentia, in quibus etiã neq; honor Iesu Christo debitus attenditur, neque salus animarum quæritur: illa, inquã, omnino circunducẽda fore. Quod nemo nõ uiderit, nisi q talpa cæcior fuerit.

De dote nõ alienãda. Art. ccciij.

¶ Illam quoque consuetudinem iterum atq; iterum abolẽdam, qua permittitur uiris, uxorum dotes & parapherna alienare & conturbare. Qua re nihil perniciosius, quandoquidẽ (ut ait iurecõsultus) publice interest mulieres esse dotatas, refertq; reipub. ne quis sua re male utatur. Et nimis est durum profecto, ut uir q merito ditaret uxorẽ, hanc redigat ad inopiam, & tandem uterque & maritus & mulier mendicent.

Prodigo bonis interdicendum. Articulus ccciiij.

¶ Atque ideo cuiuis iudici licere, prodigo bonis interdicere, & curatorem bonis dare.

De mariti debitis. Art. cccv.

¶ Neque ob æs alienum mariti, bona uxoris alienatum iri prætextu consuetudinis, nisi hæc illius instigatrix fuerit.

De successione nepotũ. Art. cccvi.

¶ Illas itẽ leges municipales prorsus antiquandas, quibus nepotes neptesve, superstite filio, à lu

ctuosa aui uel auiæ hæreditate, summa lege debita, excluduntur.

De qnquennij dilatione. Art. cccvij.

¶ Ac illum abusum tollēdū à curijs principum, ubi debitore neque bonis cedente, neq; creditore consentiente, debitum in fraudem huius differtur qnquenniū. Hac igitur in re modus habēdus erit.

De euictione bonorum. Art. cccviij.

¶ In multis item terris usu uenit, ut re pignori data, hypothecęve subiecta, liceat creditori ob nō solutionem redditus, totā hāc rem euincere. Quo fit, ut ille pessimus usurarius miseri debitoris iniuria & iactura locupletetur. Proinde per actionem pignoratitiā hypothecariamve re euicta, hoc q̄d ultra sortem est & fructus cessos, debitori restituendos auctione facta, & iure hastę fiscalis seruato, omni consuetudine tanquam iniusta, sublata.

De cessione bonorum. Art. cccix.

¶ E diuerso hos debitores, tanquam insignes fures atq; raptores, animaduersum iri, qui (ut fit subinde in magnis istis emporijs) in fraudē creditorū bonis cedunt, ne æs alienum suum soluant. Quo furto nihil reipub. damnosius.

Ad legem Carolam de his qui in fraudem creditoris, bonis cedunt. Articulus cccx.

¶ Quapropter illam legē à Carolo Cæsare sancitam, iugiter ubique terrarum obseruandā: Quisquis (ait) in fraudem creditorū solum uerterit, bo-

nisve cesserit, aurum argẽtumve mercesve occultauerit, fur manifestus esto, & aliorũ exemplo in illum animaduertitor. Qui autem hosce debitores fugitiuos celauerit, eiusve doli fraudisve conscius fuerit, illis quoq; negociari prohibuit, simulatis contractibus reuocatis. Quin & uxores mercatrices eorum, qui in fraudem creditorũ, bonis cesserint, æs alienum mariti, constante matrimonio contractum, pendere debere. Nec illorum solum uertentium bona, alicubi gẽtium esse secura, sed à creditoribus persequi posse, omni etiam priuilegio & consuetudine non obstante.

Pro debito etiam fiscali licere bonis cedere. Artic. cccxi.

¶ Et æquum & iustum fuerit, neminem in cõpedibus & neruo teneri ob æs alienum suum, sed cessione bonorum iuste facta, omnem debitorem liberãdum, & ne quidem pro debito fiscali quem nexum iri. Quandoquidem, ut ille orator legum maximus ait, pecuniæ creditæ bona debitoris, non corpus obnoxium esse conuenit.

De furtis. Artic. cccxij.

¶ Clancularios autem hos furunculos non statim furca suspendendos, sed prima uice ad ius scriptum domino rei in quadruplũ condemnandos. Sin autem illi clepticuli altera uice grãde furtum fecerint, iam tum eos laqueo suffocandos.

De angarijs & perangarijs. Articulus cccxiij.

¶ At illos maiores cleptas, q minores fures suspendũt, potius suspendendos, qui & fiscos & æraria compilant, multa clepentes millia, qui per fas atque nefas à subditis pecuniam extorquent, quive pauperum labores atque mercedem sanguinis auferunt & detinent. Atque proin ad angarias & perangarias, &, ut uocant, curiale seruitium cogendum esse neminem, nisi prius iusta merces pro opera cõstituta fuerit, etiam si opus publicum fuerit. Ne forte uel hoc prætextu hi comites castrenses & comarchi, sua tyrannide miseram plebeculam posthac angustiẽt, miseros illos homines angariantes, & seruituti subijcientes, quin hos quoq; in metallum damnãtes, haud secus ac ille rex Pharao fecit Israelitis, quem illi Pharaones longe uincunt inclementia.

De muneribus publicis. Articulus cccxiiij.

¶ Haud equidem inficias iuerim, quin ad munera publica obeũda quis teneatur, modò tamen ius & modus in his quoque seruetur, & bonum & æquum ob oculos uersetur, & publicum, non priuatum, quęratur commodum.

De suffectis officiarijs, & conducticijs episcoporum quæstoribus. Articulus cccxv.

¶ Hos quoq; suffectos officiarios & cõducticios p̄latorũ q̃stores & coactores, om̃ino ab ecclesia pia tanq̃ impios auferendos, q̃ppe Christianũ populũ diuexãtes, adeò ut illud nec uerbis adseq̃r.

Nimis esse turpe, laicum in ecclesiasticum iurisdictionẽ exercere. Articulus cccxvi.

¶ Nimis item esse turpe, hos laicos hominesq́ prophanos (ne dicam nebulones pessimos, atque adeò inimicos ecclesiæ) in oues Christi atque sacrificos atque Christos Christoq́ sacros, iurisdictionem exercere imperiũve habere, atq; quod monstrosum est, censuras fulminare, quod est rerũ turbare officia.

De procuratorum fiscalium inquisitionibus. Art. cccxvij.

¶ Iam nunc uidendum, ut in iudicijs opprimuntur pauperes, ut miseri deglubuntur prætextu iustitiæ, dum ob famã paruosq́ rumusculos ad inq̃sitionem proceditur, quod est plane tyrannicum, ut qui subinde suboriãtur abs uitiligatoribus delatoribusve aut obtrectatoribus, uel rixãtibus muliercilis, inuidisq́ hominibus. Quo fit, ut ob leuiusculam famam paruumq́ rumorẽ, uulgus diuexetur admodum. Atque proin iam tum demum ad inquisitionem aggrediendum, cum clamosam famam, uel recta rerum argumenta, uel semiplena ꝓcesserit probatio, & iam tũ q̃stio decreta fuerit.

De quæstionibus. Art. cccxviij.

¶ Nec quempiam quæstioni subijciẽdum, ni famam certa rerũ argumenta, qualiscunqueve probatio illam ꝑuerterint. Et ne tum quidẽ, nisi similiter & quæstio decernatur. Ne fortè hi cruẽti car

nifices,hi sanguinarij iudices,ut sunt auari sangui nis,innocentem effundant sanguinem: quãdoqui dem,ut ille ait, præstat centum reos sontes impu nitos relinquere,q̃ unũ insontem morte dãnare.

De cõuictis legitime. Art. cccxix.

¶ E diuerso tamen non ualere consuetudinem, si quis capitali de crimine iuste conuictus fuerit, non antè morte multetur,quàm per iudicẽ quęsti onis,quæsitorem ve sit extorta confessio, ne forte & prætoria tãdem fiant carnaria, & ob duritiam sontis iuste conuicti,nihil cõfitentis, immania sce lera maneant impunita.

De inscriptionibus. Art. cccxx.

¶ Et quando multis in terris sint iudices tyran ni,& nescio quos mihi narrãt baliuos & satrapas, qui semper cruorem sitiunt, illos inquam dum ad inquisitionẽ criminis proruperint, sese debere in- scribere haud secus atque accusatorem,qui ve cri- mẽ tanquã exceptionẽ, ut id puniatur,obiecerit.

De formulis uerborũ tollendis. Articulus cccxxi.

¶ Quid quod sunt tyranni,qui reum non aliter sese permittunt defendere, ni certa pecunia data, ni certæ uerborum formulæ obseruatę fuerint: ni denique lis talis primum intenta fuerit, Num lice at reo sese defendere. Crudeles quidem illi tyran- ni Siculi,at nihil ad hos Christianos, qui inter iu- dicia persequuntur innocuos. Hos itaque barba- ros atq; tyrannicos mores,plane extirpãdos du- bitauerit nemo.

De tyrannis qui insontem occidũt. Articulus cccxxij.

¶ Illos autem tyrannos atq; adeò cruentos carnifices, qui innocẽtem sanguinem fuderint, quive insontem in quæstione occiderint, quive innocuum morte dãnauerint, & hos, inquam, uiuos flammis combustum iri.

De conciliabulis. Art. cccxxiij.

¶ Illas autem synodos, illa concilia, ne dicam conciliabula, prohibenda, in quibus nec episcopi nec archidiaconi alijve ecclesiis præfecti & prælati conueniunt, sed manipulus furum, sed certi solum pr ędones & tenebriones pessimi, qui per oẽs terras peruadunt ceu quædã calamitas, qui omnes ciuitates, agros & uillas obequitant, qui caulas Christi in morem luporum obambulant, idq; miseri sacrifici miseriq; rustici diuexandi gratia, subornantes etiam & corrumpentes synodales iudices, non quòd animarum quærant salutẽ, sed pauperes deglutiant.

De tyrannorum conuenticulis. Articulus cccxxiiij.

¶ Proin & illos conuentus principum execrandos, illa tyrannorum conuenticula detestanda, in quibus tantũ pecunia quæritur, in quibus ad precaria plebecula cõpellitur, in quibus nihil in medium consulitur, in quibus non nisi factiones & conspirationes fiunt ad pauperes deuorãdos. Sed dices, qui sunt hi? Illi profectò, qui, ut ait Micheas propheta, odio habent bonum & diligũt malum,

qui uiolenter tollunt pelles eorum & carnes eorum desuper ossibus eorũ, qui comeduut carnem populi dei,& pellem eorum excoriauerũt, & ossa eorum confregerunt, & conciderunt sicut in lebete,& quasi carnem in medio ollæ &c. Equidem hoc uatis oraculum ad uerbum hic citauerim, ne quis mihi iam parum præ illis sacris uatibus in tyrannidẽ inuehentibus, dicenti succenseat fortassis.

De ecclesiasticis & ciuilibus comitijs. Articulus cccxxv.

¶ Atque proin in ordine ecclesiastico sacras seruandas synodos, ut olim prisci. In ordine uerò ciuili, principes nostri imitentur obsecro uel ethnicos, tantum reipub. salutis gratia indicentes comitia, in quibus rem populi tractarent.

De aduocatis. Art. cccxxvi.

¶ Cæterum quando nihil sit melius in repub. quàm probus & iustus aduocatus, contrà uerò nil pestilentius, nil perniciosius, nil denique crudelius malo & iniquo causidico, illũ inquam, causarum patronum, qui sciens prudensq́ iniquam causam egerit, quive argentanginam passus fuerit, qve, ut claudus & loripes, in legibus quas trahit capillis præuaricatur, nunc est, nunc non est, adstruens, omnia pro sua asserens libidine, & secum subinde diffidens, quive litem malitiose protraxerit, quive in manifesta calumnia offensus fuerit, hũc inquam, grauissima pœna mulctandum.

De procuratoribus & causidicis. Articulus 327 328.

¶ Procuratorem quoq; qui sua incuria causam labefactauerit, quive nullitatem cõmiserit, ipsum in expensis condemnandum. Illos autem rabulas forenses, in iudicijs haud secus ac ranæ strepentes, ne dicam latrantes & ululantes, qui omium prædonum rapinas superant, quive præuaricantur, q ipsi prædones de lite paciscũtur, qui denique plus iusto à cliente iam quasi deuorato extorquẽt, qui manifesto calumniãtur, illos inquam Tenedia bipenni plectendos.

De iudice corrupto. Art. cccxxix.

¶ Multo magis illum sceleratum iudicem arbitrumve iuxta legem duodecim tabularum capite puniendum, qui ob rem dicendam accepisse pecuniam cõuictus fuerit. Quid enim iniquum magis, quid crudelius, quid sceleratius, quàm manibus ære sceleratis ius dicere? & funestas illas manus in sanguine peccatorũ lauare? deum à quo iudicandus est, cõtemnere, & pauperem inter iudicia deprimere? & qui esset oculus iustitiæ & Astreæ antistes, illum & iustum & æquum iniquitate peruertere? & miserum in quo defendendus erat, iudicio conterere, & uirum bonum & iustum perdere?
1.Cor.6. Et ideo, quãuis Apostolus dicat, si quę sunt uiles personæ, has iudices dandos, nullum tamen hodie iudicem constituendum, nisi qui sit uir bonus & prudẽs & probus & iustus & doctus, solers & æquus arbiter, qui nouerit lances æquo libramine suspendere, & acutum cernere, & cũcta rimari.

De absolutione iudicũ, ad certas causas delegatorũ. Art. cccxxx.

¶Horum autem iudicum potestatem abrogandam, qui tanquam schismatici sese præferre audēt pontifici maximo, huius fulmina nil curātes, imò temnentes, & à sexcentis censuris, quamlibet eorū potestati pōtifex maximus derogauerit, quēlibet absoluentes. Quo fit, ut interim & tyrannus licentius grassetur, & ipsa ecclesia pessundetur.

De tabularijs, scribis, & logographis. Artic. cccxxxi.

¶ Si quis item scriba uel logographus uel logista, falsi compertus, falsive cōuictus fuerit, & hūc pœnam capitis dare oportere.

Ad legem Carolam de notarijs. Articulus cccxxxij.

¶ Iuste proinde sanxit ille noster Cæsar Carolus, solū peritos, probos & seueriter examinatos, notarios adsumendos, & quinque duntaxat stufe ros pro actu accipiendos.

Vt paupertatē iurantibus, gratis in iudicijs inseruiatur. Articulus cccxxxiij.

¶ Et ut ne forte ob non datam pecuniam quis sua causa cadat, uel ius suum deserat, in omnibus consistorijs illud obseruandum, ut & aduocatus & procurator & notarius, gratis inseruiant pauperibus inopiam iurantibus.

De his quibus mandata est iurisdictio. Artic. cccxxxiiij.

¶ Iudices item delegatos, non admittendos saltem in prima instantia, sed causam coram ordinario iudice primũ agitandã, non tamen illud extendendũ in delegatos ad uniuersitatem causarum.

Vt ne sint lites immortales, ideo has triennio finiendas. Art. cccxxxv.

¶ Et illud quoq; ius canonicum prorsus circunducendum & obliterandum, quod lites facit immortales. Atq; proin huius loco ius ciuile potius reuocandum, quod (mea quidem sententia) indubie longe sanctius atq; illud, statuit. Lites quippe triennio finiendas, alioqui eremodiciũ contrahi, & instantiam perire, & omnibus refusis expensis, ex integro agi debere.

Neminem Romam ex longinquo in ius uocandum. Art. cccxxxvi.

¶ Ac enitẽdum quàm maximum Cæsari, ut ne quis iam nunc ad urbem ex longinquo protrahatur, sed actorem debere sequi forũ rei. Atq; proin causas coram competente iudice in partibus intentandas, nec eò uersum amplius auocandas.

De contradictis. Art. cccxxxvij.

¶ Atat quàm sit & hoc tyrannicum, in contradictis, ut faciũt Romæ cortisani, procedere, quod nemo non uideat nisi qui talpa magis cæcutiat, tum quòd illud ne ethnici quidem fecerint, tum quòd illud & iuri & æquitati repugnet, nec cuiuis hominũ cõmodũ est adire Romam. Proin contra cõtumaces & absentes, prout iuris est, ꝓcedendũ.

Quando ſcribenda ſint acta, Articulus cccxxxviij.

¶Cæterum non eſſe proceſſum fulminandum, actave conſcribenda, dum incompetentis iudicis exceptio proponitur. Nimis enim graue eſt populo Chriſtiano, propter duorum hominum iuriſdictionem ſic eum diuexarier, & dum contra iudicem excipitur, opus ſit in primis libellos porrigere, dein exceptiones, mox replicas, poſtremo duplicas, triplicas, & alias id genus ſcripturas, & reſpõſiones ſemel, iterum, tertio deſuper faciendas, ad multiplicandas paginas & folia parum deſcripta. Quæ omnia ſic leuiter exarata numerãtur potius quàm leguntur, & magno quidem reip. diſpendio, ut longe etiam facilius princeps cauſa terminetur, atq; unum hoc execrandum incidens negocium. Vno ergo decreto hanc quæſtionem ſine actis conſcribendis finiendam, cum niſi parte petente, in principali quoque negocio & quæſtionis capite ſit proceſſus, ut aiũt, fulminandus, idq; ſolum in magnis cauſis. Breues autem, ſine ſcriptura & proceſſu magno terminandas.

De inhibitionibus & incidentibus quæſtionibus. Art. cccxxxix.

¶Incidentes autẽ &, ut aiunt, emergẽtes quæſtiones, inhibitionibus impetratis, quàm breuiſſime, q̃ad fieri poteſt, abſoluendas, uti ad ſummam quæſtionem principesve negocium, citius ueniat.

Acta & inſtrumenta breuiter ſcribenda. Art. cccxl.

¶ Omnes ergo processus & acta breuiter conscribẽda. Et nimis est durum populo, actus, id est, dicta testium, instrumenta & alia iudicum decreta sic extendere, expandere & dilatare, quasi artis esset & laudi duceretur, superfluã & barbaricam uerborum copiam affectare, semper eandem can tilenam canere, causas fatigare, rem claram multis uerbis obscurare, inepta & infinita synonyma cõ pingere, & multa ridicula uerba semper idem sonantia consarcinare, & battologias horridas, ut faciant cortisani in bullis, uix decem spiritibus explicandas, assuere. Sed stylus, aiunt, seruetur oportet, quod est in magnum reip. diabolium. Omnia ergo ornate & breuiter expedienda, ut olim solet, atque neminem creandum notarium, nisi qui biennium iuris prudentiæ operam nauauerit, qui latine, hoc est, simpliciter & compendiose, ut solet antiquitus, describat oĩa, stylo uersatili p̃stans.

De iudicijs. Artic. cccxli.

¶ Atque proin quàm breuiter fieri potest, iudicia absolui debere, hoc est, ut reo in ius uocato, & lite cum sacramento super positionibus & articulis præcisis contestata, atque terminis probandi, si opus fuerit, collectis atque concessis, quàm mox causa concludatur, & sententia feratur, atq; ius dicatur, nec quem uolũtati domini uel principis adiudicandum.

De libellis. Artic. cccxlij.

¶ Atque libellos ineptos non admittendos, sed quàm mox dilacerandos.

De strepitu iudicij. Art. cccxliij.

¶ Omnes autem causas, ut aiunt, spiritales, utputa matrimonij, de dote, de sacerdotijs, de testamẽtis, & alias id genus causas, quàm breuissime absoluendas. In quibus tamen hodie adeò strepunt forẽses rabulæ, ut cũ maxime. Hic boat, ille strepit, hic clamitat, ille coaxat. hic biliosus & iræ intemperãs, usqueadeo ira efferuescit, ut eum uelut à furijs profectum, insanire dicas. Hic calumniando, causam in longum tempus protrahendo, & nullitates anxie quęrendo, iustitię illudit. Sic rabidi rabulæ rabiunt, rabiosaq́ꝫ uendunt iurgia, atque animam lucro, quod pudori præstat, distrahunt. Atque ideo hunc furibundum iudicij strepitum, prorsus auferendum, atque illas causas intra trimestre semestreve tempus definiendas.

Vti possidetis. Artic. cccxliiij.

¶ Iudices laicos amodò iudicare nõ debere de possessione beneficij, ne forte interim & de iure dominij cognoscentes, iniustũ possessorem prętoris tueantur interdicto.

De annali beneficij possessore. Articulus cccxlv.

¶ Porro annalem sacerdotij possessorem, per iudicem ecclesiasticum in possessione tuendũ, quoad iuste euictum hoc fuerit.

De triennali beneficij possessore. Articulus cccxlvi.

¶ Triennalem uero beneficij possessorem, per-

petuò in possessione tuendum,quasi iam firma p̄scriptione uallatum.

De pœnis cameræ Apostolicæ. Articulus cccxlvij.

¶ Illam autem formam obligationis plane exterminandam,qua sub pœnis,nescio cuius cameræ,miseri sese astringunt,qualem ne ethnicus quidem machinatus fuerit,Sed quid impius non molitur cortisanus? Proinde talem obligationem ad inferos usque,unde profecta est,ablegandam.Sufficere enim obligationem à iure inuentam. Ecq̃d enim fortius atque Aquiliana stipulatio?

De camera imperiali. Art. cccxlviij.

¶ Cameram item imperialem ad instar Parlamenti Franciæ ordinandam & reformādam, neq̧ sic ibi tenues & miseros deglubendos, neq̧ ut fit, lites sic perpetuādas, sed uel triennio terminādas.

De curiarum formulis. Art. cccxlix.

¶ Om̄es autem illas formulas & stylos,ut aiūt, curiæ,iuri aduersantes,quibusve pauperes opprimuntur,quibusve pecunia emungitur,obliteratū iri,ac unicuiq̧ licere ut iuris & ratiōis fuerit, orare, perorare, dictare,scribere, & quidem ingenue & absque mulcta,absque tyrannorum metu.

De nullitatibus resecandis. Articulus cccl.

¶ Omnes item illas nullitates, modò de ueritate & iustitia apud acta cōstiterit,reijciēdas. Quas

tametsi nulla sit nullitas, isti nullarij & nullitatum patroni, suæ salutis desperati, subtiliter excogitāt ad subuertēdum iudicium, qui haud secus ac lupæ hoc semper garriunt, lucrum præstare pudori, & nullitate prætenta, ueritatē & iustitiā extinguunt, quanuis alioqui iustam causam pars aduersa foueat. Quocirca solum tunc processum esse nullum, si iudicialis ordo, si rei substātia defecerit, illo hoc casu in expēsis condemnando, cuius imperitia incuria ve nullitas acciderit. Iudicem quoque posse supplere omnia, uti uel sic partibus fiat iustitia, & nulla sit usquam nullitas.

De interrogatorijs. Art. cccli.

¶ Neque longa consuenda interrogatoria, sed ea solum quæ exceptionem reo fecerint. Generalia autem resecanda, neque illa proponenda testibus de iure non admittendis. Proin actori prospiciendum, ut ne producat testes quos iure refellas.

De testibus & commissarijs. Articulus ccclij.

¶ Neque testes ex longinquo ad testimonium dicendum, magnis partium expensis euocandos. Preterea nimis est durum misero popello, suas causas in parlamentis & magnis in consistorijs agenti, ut testibus examinandis, tam grauibus sumptibus ex illis impijs curijs allegētur iudices pedanei & commissarij. Atque proin in loco id negocium alicui iurisperito delegādum, qui accito notario testes audiat, ut fit in aliquibus aulis & capitolijs.

De falsis testibus. Art. cccliij.

¶ Quisquis autem falsum testimonium dixerit, illum secundum legem duodecim tabularũ, morte mulctandum.

Ad legem Carolam de blasphemis atque periuris. Art. cccliiij.

¶ Qui peierauerit, inquit Cæsar, hic pro arbitratu iudicis castigator. Neve blasphemiæ, neve periurij pœnam differto dissimulatove.

Non antizandum. Art. ccclv.

¶ Illos quoque barbaros mores tollendos, ut quis suo de iure suave iustitia non ante audiatur, quàm, ut aiunt, antizauerit, grandisve pecunia iu stitię prgeuertatur. Proinde anteuertere cogẽdum neminem, idq; nec in prima, nec in altera instãtia.

De reuisione & in integrum restitutione. Art. ccclvi.

¶ Sin aũt compertũ fuerit, nullam, iniquamve sententiã esse prolatam, iam tum uel reuisionem uel in integrum restitutionẽ, precibus porrectis, impartiendam, idq; sine pecunia.

De mandonibus. Art. ccclvij.

¶ Et quisquam fuerit etiamnũ quoq;, qui ferat illud, ubi ab executione auspicetur iudiciũ, ut reo necdum etiamnum conuicto, nec re iuste euicta, statim emisso mandato, mãdones, quos comestores appellant, ad deuorandum reum mittantur. Quem tantisper hi comedones comedunt, dũ uel bono iuri suo, uel loco reus cesserit. Quare hunc quoq; barbarum morem, ab orbe nostro uel usq;

ad inferos ablegandum: & illuc tantam hanc tyrannidē relegandam unà cum helluonibus illis.

De uoracibus iudicibus. Articulus ccclviij.

¶Sunt item, sunt iudices, qui die præstituto pro tribunali quidem sedeant, sed unam aliquam causam, etiam si fuerit iustitium, feriave, in alium diem sibi reseruent, miserum uillanū tunc comesturi, qui illis eo die opiparam mensam parare cogitur. Hanc ergo uoracissimam tyrānidem, posthac nequaq̄ ferendam in pia Christi ecclesia.

De iureiurando. Art. ccclix.

¶Illi quoq; consuetudini atq; adeò pessimę corruptelę derogandum, ut in actione aut personali, aut reali, solo iureiurando lis finiatur, etiam si testes actor habeat. Quo fit, ut multa fiāt periuria, & subinde quis suo iure destituatur, & actori & iudici illudatur, & animæ frequētes pereant. Quare non facile iurandum in iudicio, nisi & minis & solennitatibus adhibitis.

Quando deferendū sit iusiurandum. Articulus ccclx.

¶E diuerso sunt iudices, ut & hoc multis in terris usu uenit, qui sacramentum deferunt, etiā si nullæ probationes actori fuerint, nullaq; alia sint rerum argumenta. Tantum ergo, iusiurandum tum à iudice deferendum, cum sit aut semiplena probatio, aut certa rerum argumenta, uel uehementes coniecturę, uel uiolentæ suspiciones.

De executione rei iudicatæ tam in actione in rem q̃ in personã, & de apprehensiõe bonorũ. Art. ccclxi.

¶ Præterea si quis contra possessorem rei uindicatione uelit experiri, iam quibusdã terris usu uenit, ut ille statim bona apprehendat, emisso uel uno edicto de migrando & emigrando facto: iam tum uerò si possessor rursum sua bona apprehendat, mulctatur: si non id fecerit, quàm mox migrare & emigrare cogitur. Atque hoc utcunq; ferundum. Verum in actione in personam, si quis condemnatus fuerit, nec reus soluendo fuerit, iudex pro eo soluit, intra duos dies alterum tantum recepturus, intra quatuor dies triplum, post sex uerò dies quadruplum. Quo fit, ut quod æque præter hæc fieri poterat, ut iam rebus rei uniuersis pignori captis, ipsum ille tyrannus uniuersum deuoret, & miserum quadruplici flagello cædat. Quapropter & hunc, & illum morem adeò barbarũ, planè tollendum, atq; iustum possessorem eousque in possessione tuendum, dum res seruato iuris ordine iustè euicta fuerit. Atque condemnatis in personali actiõe quadrimestre tempus præstandum, & iam tum ad executionem rei iudicatę aggrediendum, ad respõsum iurisprudentis Domitij Vlpiani, hoc est, ut primo res mobiles & animalia pignori capiantur: quæ si non suffecerint, res soli distrahãtur, postremo nomina. Nec quem ad uoluntatem domini uel principis iudicandum.

De sententijs gratis exequendis. Articulus ccclxij.

¶ Atque proin gratis sententias exequendas, neque uicesimam, neque tricesimam subtrahendam, & ne quidem sexagesimam.

De iudicum decretis gratis interponendis. Art. ccclxiij.

¶ Illud item obseruandum in auctionibus & licitationibus, cũ uel res dotales uel minorũ, decreto iudicis distrahunt, & pluris licitanti adiudicantur, cumve repertorium conficitur.

De sententia excommunicationis. Articulus ccclxiiij.

¶ Ac operæprecium fore, si Gersoni uiro haud mediocriter docto creditum, omnes excõmunicationes & censuras illas horribiles, ipso iure inflictas & fulminatas abrogare, manente tamen canone, Si quis suadente, & quibusdam alijs. Atque ideo qui excõmunicari commeruit, quive capitale crimen & excommunicatione dignum com miserit, quive reus publicorum iudiciorum, & ecclesiæ rebellis compertus fuerit, iam tum denunciatione facta, ut iuris est hoc diuini, extra ecclesiam reijciendum, & illum peccatorem excommunicationis iaculis fulminãdum, quoad ad sese redeat, & sese pium ecclesiæ agnoscat filium.

De irregularitate. Art. ccclxv.

¶ Atque proin propter eadem animarum pericula, illas quoque irregularitates tollendas, atq; unicuique licere, suo officio eousque fungi, dum hoc illi interdictum fuerit.

De sententia hoīs. Art. ccclxvi.

¶Neminē quoq; à iudice quàm mox excommunicandum, sed uel bonis cedendū, uel si rei iudicatæ paritum non fuerit, bona debitoris pignori capiēda, idq; uel manu seculari, nec leuiter, nisi ob crimen magnumq; debitum, excommunicationē decernendam.

De interdictis. Art. ccclxvij.

¶Porro si reus obstinatus, in excommunicatione malit insordescere, ciuitasve aut tyrannus ecclesiam insontēve opprimat, illumve excommunicatum induratum sustineat, iam tum interdictū decernendum, & Sacristitium indicendum: nec hoc remittendum, ni satisfactum fuerit oppresso.

De dolo & contumacia. Articulus ccclxviij.

¶Si autē reus in ius uocatus, fit contumax, iam tum creditorem in possessionem bonorum mittendum, siue in rem, siue in personam agatur, ut fit q busdam in locis.

De interdicto ob non solutionem cathedratici indicto. Art. ccclxix.

¶Age, quantus est ille abusus ob non solutionē synodatici, obsonijve, aut unius hominis crimen, indici sacristitium. Quare hoc non leuiculam ob causam, uel ob delictū unius, sed solum, ut ius habet, decernendum. Quod tamen statim quàm causa cessauerit, remitti iustum & æquum fuerit.

De suspensione à re diuina.
Articulus ccclxx.

¶Neminem quoq; diuinis à rebus, sacrove suspendendum, nisi per iudicis sententiam.

De censuris à laicis non infligendis.
Articulus ccclxxi.

¶Quàm item sit turpe, ut quis alius atque sacerdos ecclesiastica iaciat fulmina, nemo est qui non intelligat, nisi qui nihil intelligit. Et nimis absurdũ est, ut sacrificum prophanus excommunicet, & in clerũ iurisdictionẽ laicus coniugatus exerceat.

De appellationibus. Art. ccclxxij.

¶Appellatiouum causas sine nouo processu finiẽdas. Et quid opus est illo propter unã (ut aiũt) datam, an infra iustos dies iudex appellat⁹ fuerit? Quare appellationis instrumento cum apostolis exhibito, solum priora acta exhibenda esse, ex quibus absq; aliqua alia lite sententia feratur, nisi quę noua pars exhibere uelit.

De appellationibus sine pecunia admittendis. Art. ccclxxiij.

¶Neq; ualere consuetudinem, ut non antè prouocare liceat, q̃ magna sit numerata pecunia. Proin, unicuiq; licere superiorem iudicem prouocare, quouis non obstante statuto.

Quando sit prouocandũ generale conciliũ. Art. ccclxxiiij.

¶ Et quanuis Pius pontifex maximus pie sciuerit nemini licere generalem appellare synodum, illud tamen fas esse si recēs inter doctores surgat opinio, si res sublimis agatur, si denique ecclesia deprimatur, uti uel sic quoquo decēnio sacrum & maximum fiat comitium.

Non prouocandum ab interloquutoria sententia. Art. ccclxxv.

¶ Age quanto sanctius ius ciuile, atque canonicum statuerit, à decreto non appellare licere. Sed ecquis dubitet illud ab auaritia cortisanorum inualuisse, quo plures causas ad Romam usque undique gentium protraherent? Posthac ergo non prouocādum à decreto, nisi hoc instar habeat definitiuæ sententiæ.

Post tres definitiuas sententias, prætextu nullitatis nulli appellare licere. Articulus ccclxxvi.

¶ Neque, ut & hoc ius canonicum statuit, prętextu nullitatis post tres definitiuas sentētias cuiquam prouocare licere. In primis itaque rei iudicatæ parendum erit, etiam tum sine nouo processu, ex eisdem actis quàm mox nullitatem docendam. Qua correcta, illum in expensis cōdemnandum, cuius incuria fuerit commissa, aliamque ferendam sententiam, appellatione remota.

Quando iudex facit litem suam. Articulus ccclxxvij.

¶ Verum si forte fauore uel à dorophago, uel per imprudentiam lata sit sententia, neque reuisioni neque in integrum restitutioni, neque appellationi locus fuerit, ipsum inquam iudicē facere litem suam.

Quando prioribus ex actis sit iudicandum. Art. ccclxxviij.

¶ Porro si appellatio deserta prætenditur, reuisio ve datur, falsumve rescriptum obreptitiumve, aut ementitium dicitur, sententiam nullam fore. Vel denique cum de iurisdictione contenditur, non propterea tantis partium impendijs nouum processum consarcinandum, & semper eandem cantilenam garriendam, ut faciunt barbasculi leguléi & indocti rabulę forenses, semper eadem repetentes, semper idem cornicantes, & nil aliud quàm battologias consuentes, & uolumina com pingentes. Quare tunc uel nulla acta scribenda, uel ex prioribus actis iudicandum, & quàm breuibus cuncta expedienda, ne sic grauentur miseri tam horridis & sesquipedalibus actis. qua peste nihil pestilentius, nihil grauius, nihil durius reipub.

De sportulis. Art. ccclxxix.

¶ Nec ordinarijs, sed delegatis & pedaneis iudicibus, quive salarium publicum nō habent, solum sportulas soluendas.

De litis expensis. Art. ccclxxx.

¶ Nec litis expensas reseruandas, quæ Græcis calendis taxantur. Nimis enim iniquum est, post

diuturnam litem, ubi innocens ab improbo litigatore probe uexatus & enectus est, expensas ultro citroq́ꝫ compensare, ut tamen subinde fit in curijs principum. Proin uictũ uictori & temere litigantem, semper in expensis litis mulctandum, & ne q dem principi parcendum.

De uiolentis transactionibus. Articulus ccclxxxi.

¶Deniq; nec illud in Christiana repub. ferundũ, ut in principũ consistorijs post lites infinitas, post omnem exhaustam pecuniam, ad iniquas transactiones iam compellantur agentes, & actis sesquipedem crassis, interim pariete suspensis, sic denegetur iustitia, ubi iam & rabularum forensiũ, & procuratorum, & scribarum, & iudicum, & apparitorum fuerit satiata caterua: ipsæ autem partes interim egeant & fame pereant, adeò iã delassatæ laboribus, sumptibus, & litibus intricatis.

De cõfessione & eucharistia morte damnatis ministrãda. Art. ccclxxxi.

¶Cæterum quàm est illud gemendum & flendũ, miseris criminum reis, morte damnatis, cõtra pia ecclesiæ scita, uel confessionem, uel eucharistiã denegari: quasi tyrannis sat non fuerit, corpus occidere, nisi & animam perdere machinentur. Proin illa antiqua iura iterum reuocanda, & hanc tyrannicam legem antiquandam.

De bonis damnatorum. Articulus. ccclxxxij.

¶Neq; suis, neq; legitimis hæredibus bona damnatorum, eorumve qui mortem sibi consciuerint, auferẽda. Hasce igitur tristes tyrannorum leges circunducendas, qui omnia in auarum saccũ inuerrunt, adeò iniquas leges semper exprimentes, & à mortuis quoq; tributum exigentes, & sua, non reip. commoda quærentes, prætenta iustitia.

De cadaueribus punitorum. Articulus ccclxxxiij.

¶Et illud impium fuerit, uita ablata, Christianorum punitorum cadauera, sub dio interq; bestias terræ & uolucres cæli manere, illaq; petentibus negare amicis, qui mandent illa sepulchris, quod nec ethnici fecere. Nihil est ergo q̃d adeò carè cœmiteria distrahãtur. Et nouum supplicij genus nõ machinandum, sed solum pœnas à iure præmissas exacerbandas.

Scripturas & diuersas theologorum opiniones concordandas. Articulus ccclxxxiiij.

¶Vt autem ab ecclesia om̃ia tollantur dissidia, hoc operæprecium fuerit, repugnãtes sacriloquorum patrũ sententias, in unam consonantiam redigere, curiosas doctorum quæstiones præscindere, ac immensa theologorum uolumina ad certũ breuiarium reducere.

De libris Erasmi. Art. ccclxxxv.

¶Quando Erasmus Roterod. tot libros ediderit, ut solus bibliothecã impleuerit, illiq; uiro tam

tam doctissimo quàm eloquentissimo obganniăt & allatrent, quanuis in ecclesia dei multum sudauerit, q̃libet & linguam Latinam adeò corruptă instaurauerit, quanquam & præclara ingenia excitauerit, illum obscurare conentur, ideo omnes eius libros seueriter examinandos, qui recipi debeant uel non, ut uel sic & semidocti uulgi cesset inuidia, & non sit, cur durus censor deblateret in uirum tantum.

De libris Agrippæ. Art. ccclxxxvi.

¶Nonnihil & Hĕricus Cornelius Agrippa scripserit. Proin eius quoque libros de Magia editos, censuræ subijciendos.

De iure ciuili integritati restituendo, & de infantibus leguleis explodĕdis. Articulus ccclxxxvij.

¶Quădo & iurisperiti haud parum diffideant, imò quasi nihil inter eos conueniat, hoc admodũ conduxerit, & illos concordare. Deum immortalem, ut hoc barbasculum scripturientium uulgus, leges per capillos (ut ait Cicero) trahunt: ut hi infantes leguleì nugantur: ut balbutiunt: ut halluci nantur: ut sese (ut muli) mutuo scabunt: ut hi de iure ciuili decertant: interim Andabatarũ more pugnantes. Scilicet hi hodie iureconsulti uocant̃. En sic barbarus cũ barbaro barbarizat, ut balbus balbum melius intelligat. Quo fit, ut priscos illos iurisprudentes citius capiamus, q̃ hosce præclaros eorum interpretes, clarum textum magis obtenebrantes quàm dilucidătes. Et quidem nos ipsis ex

fontibus ſenſum iuris ciuilis dulcius hauriamus, at que ex turbidis horꝝ ſtagnis. Sunt tamen, ſunt iudi ces, qui adeò iurarunt in huius illiusve uerba do-ctoris, ut eos inde nulla ratione diuelleris: & adeò manibus & pedibus in eorum ſententias eunt, ut aliter eis perſuaſerit nemo, ſed id interim maximo reip. diſpendio. Hinc operæprecium fuerit, gloſſe mata boni Accurſii à textu abradere, barbarorum barbara ſcholiorum ſcholia plane delere: illa innu mera, horrida, fœdaq́ꝫ ſcripturiētiū uolumina vul cano mandare, atq́ꝫ eorꝝ loco ueterum illorū iure-conſultorum libros poſtliminio reſtituere, atq́ꝫ to-tum ius ciuile integritati reddere. Quod noſter il le Andreas Alciatus, omniū bonarū artium abſo-lutiſſimus, ſeſe cōpleturum opere pollicitus eſt: & faciet, ſi uiſum eſt ſuperis. Facundaq́ꝫ præſtās fa cundia, uerſatili ualens ingenio, & iuriſprudentia pollens, nihil eſt quod non penetrauerit, ut haud immerito dicatur & ſit alter Papinianus, & ipſum iuris aſylū. Cæſaris ergo partes fuerint, hoc ipſi ali isq́ꝫ legū oratorib⁹ maximis & uiris experiētibus (quādo nō uni⁹ id fuerit) hoc inquā negociū com mittere & mandare, ꝗ om̄es illas infantiū leguleo rum quæſtiones, opiniones, diſtinctiōes, limitati-ones, regulas & earum fallentias, item horrida il-la & incepta corruptaq́ꝫ doctorum conſilia, practi cas, cautelas, ſummas, repetitiones & deciſiones, aliasq́ꝫ nugas nugaciſſimas, in unam redigant con cordiam, ſingulis annotatis ſecundum textum iu-ris ciuilis, illisq́ꝫ nouis, iuſtis & caſtis commenta-rijs, abrogatis alijs, Cæſar ter optimus maximus autoritatem ſuam impertiat. Quod ſi faciat, (fiet

autem, imò iam dudum illud e[illegible] animo Cæsaris experiri)haud equidem uerb[illegible] cõsequar, quantum commune bonũ ueniet in Christianã remp. Quid' quòd maius opus mouerit ipse Cæsar, q̃ si Babyloniam debellaret? Adeò hic confusa sunt omnia. Quin mala multa nimis desita & scãdala dicas. Si enim cęcus cæco dux, nonne(ut ait Christus)ambo in foueam cadunt?

De iure ecclesiastico. Art. ccclxxxviij.

¶ Et illud ius Canonicum, quod Laurẽtius Valla uocat ius Gothicum, quod ferme totum subtractũ est ex iure ciuili, certis regulis componẽdum, breuiterq́ scribendum.

De Basileensi concilio. Art. ccclxxxix.

¶ Et quãdo fuerint(bene ne an secus, incertum est mihi)qui Basileẽsem synodũ suo illo naso suspendunt, & hanc inquam sub incudem reuocandam, & om̃ia quæ ibi statuta sunt, seuerius examinand[illegible]qua sit fortè macula in ecclesia sponsa C[illegible]ulata.

[illegible]cilijs exarandis. Art. cccxc.

¶ O[illegible]es item hęreses, diuersis in concilijs usque[illegible]tempore apostolorum, usque hactenus maligno suggerẽte spiritu, ab hominibus inuẽtas, & sancto spiritu aspirante damnatas, & iam olim in hoc sacro maximo comitio damnandas, in unum compendium redigendas, omniaq́ breuibus exaranda instar legis duodecim tabularum, ne quispiam posthac prætendat ignorantiam; statimq́ cõ-

burendum, qui contrà sentiat atq; ecclesia statuit.

De legibus & statutis. Art. cccxci.

¶ Et quando Cæcilio iureconsulto autore, legum opportunitates & medelę pro temporũ moribus & pro rerum publicarum generibus, & pro utilitatum præsentiũ rationibus, proq; uitiorum feruoribus quibus medendum est, mutentur & flectantur, hoc operæprecium fuerit, in his sacris comitijs uniuerso populo Christiano iustas præscribere leges, malas autem antiquare, & bonas quæ exoleuerunt, in desuetudinem ve abierũt, reuocare, & omnes denique leges municipales seueriter examinare, & eas iam tum uel confirmandas, uel abrogandas.

De uarijs iniquis præscriptis. Articulus cccxcij.

¶ Item cuncta terrarum scita, priuilegia, pragmaticas sanctiones, ambitiosa decurionũ decreta, formulas & cancellariæ regulas, necnõ tyrannorum edicta, quibus opprimuntur pauperes, q; busve tenues deglubunt, quæve honestati & æq; tati iurive aduersantur, quæve priuatum commodum olent, uelamen tamẽ iustitiæ pietatisve præ se ferentia, quæve in odium Christi eiusve ecclesię condita sunt, omnia inquam illa antiquãda & funditus extirpanda.

De certis iniquis statutis, speciem boni præ se ferentibus. Articulus cccxciij.

¶Deniq; & illa tyrannica scita, iampridem contra libertatem ecclesiasticam sancita, prorsus obliteranda. Nihil enim in his conciliabulis de re tam sublimi ordinandum est, sed ad ecclesiam referenda sunt omnia, si forte ambigua & uaria oriantur iudicia. Sunt tamen, sunt qui dixerũt ecclesiam tributo grauandam, nullas oblationes seruandas, nihil dum puer baptizatur, dumve confessio audit, accipiẽdum: nullas item exequias memoriasve defunctorum habẽdas. Item (quę tamen solatia sunt rusticorum & ciuium) ne fiant conuiuia, encænia, puerperia, scenopegiæ. Quæ licet ad populi solatium, multis iam seculis obseruata fuerint, illa tamen nescio qui homines tollere conantur, non ut ecclesiæ uel reipublicæ Christianæ consulant, sed quo magis illo prætextu maiores exactiones faciant: & quod interim humanitatis & hospitalitatis iuri detrahitur, hoc suo commodo reseruent, colantes culicem, sed deglutientes camelum. Item illa quoque edicta circunducenda, ne monasteria q̃ etiam opulenta non sunt, succedant. Quæ omnia, ut & alia multa, sunt funditus euellenda.

Ad legem Carolam de iniquis legibus tollendis. Art. cccxciiij.

¶Quare iusta est illa lex Carola, & in æuũ obseruãda, q̃ iussit oẽs terrarũ consuetudines & scita populi p senatũ suũ aliosq́; sapiẽtes examinatũ iri: & iam tũ ea uel probatum, uel reprobatũ iri.

De priuilegijs. Art. cccxcv.

¶Quapropter & omnia priuilegia q̃ sunt con

tra ius, abroganda. Verum si iusta sunt, & præter legem admittenda. Et quando sit una ubiq; ecclesia, expedit & unam legem inter Christianos seruari. Et impium est, unum esse priuilegiarium ad alterius iniuriam, ne dicam inuidiam & opprobrium, alterum uero deprimi.

De muneribus & honoribus, Articulus cccxcvi.

¶Ac operæpreciũ fuerit, tum munera, tum honores publicis in rebus seruari.

De ordine dignitatũ. Art. cccxcvij.

¶Ac ut ne rerum turbentur officia, ordines dignitatum, ut olim erant, reponere: hoc est, ut dicãtur & sint alij illustres, alij clarissimi, alij spectabiles, alij perfectissimi.

De bono magistratu eligendo. Articulus cccxcviij.

¶Talem itaq; magistratum eligendum, in quẽ uera refulgeat religio & iustitia, qui noscat omnibus sese præstare, & bene uiuẽdi regulam, & omnium uirtutum ideam præ se ferre, ipseq; sapiens, qui sapiẽtes amet, qui fidem afferat, & iustum & ęquũ uindicet atq; colat, qui semp cogitet quod in rem sit reipublicæ, non item suam: qui & uirtute polleat, & à uitijs sit uacuus: qui tãquam pater patrię, omnia curare & seruare studeat, pręsertim quę publici iuris sunt: q miserabiles & calamitosas personas ab iniurijs defendat, & urbes instauret, & sarta & tecta tueatur: qui pius sit, & iuris scientia prę

ditus, qui denique non sit crudelis & sanguinarius homo, ueluti sanguisuga, sed qui tãquam nomophylax leges exequatur & custodiat, iustitiamq; colat rigidus seruator honesti.

De publico salario. Art. cccxcix.

¶ Et ut ne sit cur quis rapiendi occasionem arripiat, nulla officia elocari, sed omnem magistratum ex fisco ærariove stipẽdia habere debere, & officiarium suo iure contentum esse.

De quæstoribus reipublicæ. Articulus cccc.

¶ Ac operæprecium fuerit, eos qui ærario fisco ve præficiuntur, quive munus quærendæ pecuniæ suscipiunt, corã primoribus ciuitatis, atque tribunis in singulos annos aduersaria exhibere, & accepti & expensi tabulas conferre, & reliqua restituere designareve, & de singulis rationem reddere, quas sic dispunctas & expũctas, amplius haud iterare oportet. Neminem quoq; ad quæsturam adsciscit, nisi & fidelitatem sacramento firmauerit, & fidem optimam præ se ferat.

De duumuiris. Articulus cccci.

¶ In ciuitate quoque duos eligendos duumuiros, qui (ut olim ædiles curules solebant) annuum magistratum gerentes, sint curatores urbis, & precia rerum constituant, & monopolia tollãt. Pręterea uias & flumina publica, & fontes & mœnia, & saxostrata & pontes tueantur.

De gymnasiis. Articulus ccccij.

¶ Præcipue tamen tuenda sunt gymnasia & libertate donanda, & qui ex longinquo tanquam sponte exules eò uersum sese protipiũt bonarum artium uenandarum gratia, ab omni defendantur iniuria, quorum unus sit iudex gymnasiarches.

De tribus linguis & solidis scientijs. Articulus ccccij.

¶ Et ut olim sanxit ecclesia, tres illas linguas q cruci Iesu nostri affixę erant, in om̃i gymnasio instaurandas, & solidas illas scientias tradendas, neque diuina uolumina, neque iuris neque medicinę libros, nisi latine uel græce uel hebraice uertendos. Idq; propter multarum rerum discrimina & animarum pericula uitanda.

De institutione reipublicæ. Articulus ccccių.

¶ Prouidendum quoq;, ut omnis resp. recte instituatur, illiq; non solum de bono magistratu & iudice iurisperito, sed etiam de docto pædagogo, pastore, medico, obstetrice, & pharmacopola cõsulatur. Cuius pigmenta & antidota in singulos annos quàm diligenter per medicos sunt uisitãda, ne forte reproba distrahantur pharmaca.

Ad legem Carolam de regimine reipublicæ. Articulus ccccv.

¶ Iuste proinde noster ille Carolus Cæsar edixit: Inter subiectos nostros mutuus amor esto, amice pariter conuenientes, & conuentum facientes, & res prouinciales & reipublicę necessarias in

medium cõferentes,uti uel sic necessaria in quamlibet ciuitatem importẽtur. Denique,ut refert Calistratus iurecõsultus,cũ summæ prudẽtiæ & autoritatis apud græcos Plato, institueret quemadmodũ ciuitas bene & beate habitari posset,in primis istos negociatores necessarios dixit.Indiget.eñ ciuitas pluribus ministrãtibus,inuehẽtibus, & euehentibus,præsertim rusticis. Cæterum,inquit Cæsar,si quid graue,uis aliquave ingruerit,illud,q̊ad fieri potest,pace trãsigito. Alioq ad nos pro ope confugito, qui pro uirili quidem nostra subditos ab iniuria defendemus, uim illatam ꝓpulsantes, hostiles incursus cohibentes,omnem denique iniuriam à republica repellentes. Sanctaq; edicta & publicari, & ad unguem seruari iubet imperator.

De ciuili & ecclesiastica iurisdictione. Artic. ccccvi.

¶Deniq;,ne longum faciam,quando inter principes regesq; terræ,nec non primores & proceres ecclesiæ,de iurisdictione frequens fit cõtentio & immodica controuersia,ideo in causis promiscuæ iurisdictionis,illum potiorem esse qui alterũ præuenerit. Alioqui utrique,& ecclesiastico & ciuili, iudici suam iurisdictiouem seruandam.

De iurisdictione omnium iudicum. Articulus ccccvij.

¶Et quando Stephanus Aufrerius,autor haud ignobilis, multa de iurisdictione oĩium iudicum disseruit,hoc operæprecium fuerit, eius librum ea

de re scriptū, discutere, atq; eius innumeras quæsti ones resoluere, atq; ea q̄ uel ad ecclesiasticū, uel ad ciuile iudicē ꝑtinent, seuero examine indagare, atq; utriusq; iudicis iurisdictione discreta, oīa ad certas leges breuibus expressas, redigere. Nō ergo illos iurisperitos (ne dicā iurisperditos) ferūdos, qui pro sua libidine, pro suo foro interpretantur oīa. Qui omnem honorem ab ecclesia recipiētes, ipsi tamen haud secus ac uiperarum genimina, corrodunt uiscera matris: adeò conspirant in piam uirginem ecclesiam, hanc etiam uiolare conantes. Quam iurisdictiōe priuauerunt, ut grassarētur in filios eius, ut Christi sponsam prostituerēt, ut miserum popellum uexarent, ut suæ tyrannidi subijcerent omnia. At, qui sunt hi qui sic insaniūt? En hi sunt qui ueluti sues, aureos gestāt in naribus annulos, qui tanquam simiæ splendent in purpura. Qui licet infantes sint leguleii, clamoribus agunt omnia, & cristas erigunt, dum sacerdotes opprimunt & ecclesiam pessundant, quam nec executionem habere patiuntur, omnium hæreticorum crudelitatem superantes, ac Christi regnum à diabolo inuasum, & Christi morte euictum, inuadentes, scilicet hi nostri rabulæ forēses. At dum stylus est admouendus, uideas saltare camelū. Qui sunt hi? Scilicet, hi sunt qui caudam iactāt popello, hominem autoritate prementes, quod serica gestēt. Cæterum simia manet simia, etiam si aurea gestet insignia. At, qui sunt hi qui iurisdictionem ecclesiasticam tollere machinantur? Qua autoritate freti id moliuntur? Qui sunt hi qui suis terminis non contenti, alienis in castris militare, ecclesiam pes-

ſundare, illamq́ſua iuriſdictione ſpoliare parãt? Scilicet hi ſunt noſtri barbaſculi in domibus regum legulei, ſua duntaxat quærentes, non quæ Ieſu Chriſti, quem odio perſequuntur.

Omnia ad eccleſiam referenda eſſe. Articulus ccccviij.

¶ Poſtremo quando interſit reipub. locupletes habere ſubditos, idcirco municipes & incolas nulla ſeruitute premendos, nulla tyrannide concutiendos, ut (miſerum) ſit per Frãciam, per Galliam, ubi uillani & ſuburbani ferme nil proprium poſſident. Atque proinde cuncta terrarum ſtatuta, & quæuis ſtatuenda per orbem, ad piam matrem eccleſiam, quam cœtus hic Apoſtolicus & generalis ſynodus repræſentat, referenda eſſe, quæ, iniquis & tyrannicis legibus abrogatis, quod iuſtum & æquum foret, populo præſcribat. Atque in hoc ſacro maximo comitio omnes hęreſes hic recitatas, omnem ſimoniam & ambitum, & ſcandala à tempore Conſtantienſis cõcilij uſq́ hactenus in Chriſtianum orbem, maligno ſpiritu impulſore ingeſta, & breuibus hic utcunque deſcripta, ſemel auferẽda: quod ambiguũ & obſcurum eſt, declarandum: difficiles quæſtiones extricandas, ſpoliatos reſtituendos, ui depreſſos releuandos: longas magnasq́ lites, in altis capitolijs & maximis cõſiſtorijs paſſim indeciſè pendentes, iudicibus datis, in ſacro cœtu citò terminandas. Vt autẽ ad ampliſſimum eccleſiæ ſenatum facilius quæq́ referantur, omnes uiros doctos ad hũc cœtum ſolennem undeuis gẽtium uocandos. Atq́ unicuiq́ licere, ut id

quoq; decet in libera ciuitate, ingenue loqui, disputare, orare, perorare, referre atque etiam deferre, atque suam sententiã dicere. Atque o͂mi cessante tumultu, atque communi sapientium suffragio singulis rebus acerrime discussis, & longo examine pe͂sitatis, & uelut in æquilibrio trutinatis, iam tum deo ter optimo maximo totis animis inuocato, seuerissimam totius ecclesiæ censuram expectandam, & autoritatem ecclesiasticam impartiendam. Iam uero & impios tollendos, & sacerdotia ipso iure uacãtia, iuste & æqualiter dispensanda doctis & item pauperibus bene de rep. meritis, & fucos ignauos arcendos, simoniacos & hosce turgidos homines, qui plus uno tenent, beneficijs cæteris destitue͂dos. Hos item ignauos & ignaros episcopos, & alijs ecclesiis pręfectos atque prælatos, ut solet, seueriter obiurgandos, ac eorum excessus atque abusus impendiò corrigendos: omne malum hic enarratum, procul ablegandũ: & quicquid optimum fuerit, inserendum: omnibus occurrendum, parcendum uerò nemini. In primis tamen Henricum Anglorum regem, qui suo in conciliabulo cum assentatoribus tyrãnisq; suis propalam edixit, sese secundum deum esse caput ecclesiæ Anglicanæ, non solum ut hæreticũ, sed ut schismaticum quoq; damnandum, ac ipsum regno eijciendum, ac ab ecclesia tanquam pestile͂s malum tollendum, ni resipiscat. Atque Iohannem episcopum Roffensem, atq; Thomam Morum, doctos sanctosq; uiros, cum alijs ab illo Anglorum rege propter ueritatem & iustitiã crudeli morte extinctos, ut martyres sunt, inter diuos referundos. Cæ

terum si quæ sint hic adeo difficilia, ut iam expedi ri nequeant, illa inquam ad alteram synodum anno decimo post hanc celebrandam, reseruanda, & altiori indagine discutienda, & ut interim uiri docti qui cyclopædiã absoluerint, maiori sint in precio, illos decorandos & exaltandos, certisq; operibus sanctis destinãdos, & laboribus accingẽdos, uti uel sic uniuerso orbe monarchiæ subiecto, aliquando tandem aurea secula redeãt, sarta tecta diuinæ domus funditus resarciãtur, & pia uirgo mater ecclesia iam amaritudinis plena, atq; adeo ancipiti gladio cor undiq; mœrens fixa, soletur.

De episcopali synodo. Articulus ccccix.

¶Quapropter ut omnia recte seruentur, in qua libet diœcesi in singulos annos celebrandam esse synodum, in qua & episcopus, ut olim solet, & archidiaconi, & archipresbyteri, & abbæ patres, & doctores conueniant, ad quam referantur omnia.

De metropolitana synodo. Articulus ccccx.

¶Ac operæprecium fore, ut præterea archiepiscopi cum suis episcopis & suffraganeis alijsq; prælatis ecclesię, in sua metropoli singulo triẽnio conuentum faciant, & prouinciale concilium habeatur, in qua altiori indagine perscrutentur omnia, quę ad Christianam remp. conducant, illis conciliabulis penitus reiectis.

De gñali synodo. Art. ccccxi.

¶Deniq; concilium generale quoquo decimo anno seruandũ, uti & hoc in maximo ecclesię comitio, anno ab hinc centesimo & duodetricesimo habito, definitum est: in quo inquam maiora dirimantur negocia, & maxima quæq; ex qualibet diœcesi & metropoli referãtur ad illud. Illicq; in hoc sacro comitio ordinentur, qui exequantur ista, uti uel hoc modo iterum insurgentibus malis obuicetur: si fortè una aliqua hæresis interim succrescat, uæ sanus ve cordesan' insaniat, aut importuna tyrannis in Christianam rempublicã, in piam Christi ecclesiam desæuiat: uti uel sic tandem perennis fit concordia, & uirgo mater ecclesia aliquando tandem tranquilla pace fruatur, semperq; floreat, morigeros filios habens, quos concordes & fideles & pios esse gaudeat, dum non ut beluæ, sed sanctam uitam transigentes, ad religionem, ad iustitiam, ad cælestem sapientiam uiuant, synceramq; fidem charitate formatam seruent, unumq; deũ laudent & colant. Om̃ia enim quæ summa æterna ve lege aut diuinit' ordinata, quæ ve à legislatoribus condita sunt, eò pertinent, eò uersum duntaxat tendunt, ut pax seruetur, iustitia nõ uioletur, sed obedi ẽtia, sed pietas cũ religione floreat: oẽsq; suę salutis memores, summã felicitatẽ uirtute metiantur, & nõ suas animas, CHRISTI sanguine redemptas, perdant, sed in una ecclesia manentes, & ad IESVM adhærescẽtes, deo æternum utantur fruantur, in quo summa beatitudo consistit, in fluxis rebus non item.

FINIS.

AD CANDIDVM LECTOREM.

HAec fere sunt(ni fallor) cãdide lector, quæ uel ad ecclesiastici, uel ad ciuilis ordinis instaurationẽ pertineãt. Quæ ego quidẽ pro mea uirili in ordinem digessi, quæ deniq; uel pietate coactus non potui non emittere, tanta uidens mala indies increscere & inualescere, quibus utcunque obuiare studui. Non quòd ego uanos illos quæram rumusculos, non quòd his meis dictis adeò meam fidem adstrinxerim, ut nemo quisquam melius censuerit atque ego, qui ad tantam prouinciam obeundam prorsus inappositus fuerim. Neq; ego uelim Lycurgus aut dicier aut haberi, sed tãtum meam dixerim sententiam, neminem præ me etiam puerum, à quo discere paratus sum, contemnens. Proin, quod iterum atque iterum propalam testificamur, in animo nostro non fuerit, uel latum (ut aiunt) unguẽ ab ecclesiæ iudicio recedere, ab eave dissentire quicquam. Cuius censuræ cuncta quoq; (ut decet) subiecerimus. Quin equidẽ abs te quoque doceri efflagitauerim, & quidem ab amiculo, si fieri possit. Proinde si meliorem sententiam in medium attuleris, exporrecta fronte suscipiemus eam. Imò id & gratulabimur tibi, & ingenium tuum exosculabimur, modò syncerus fuerit animus erga pietatem tuus, in qua nos ubique (uti speramus) pedem fixerimus. Quare tu etiam mihi suppetias feras necessum est, qui tantũ munus obierim, fascemq; maiorẽ portauerim, quàm ferre queam.

Vt de-

Vt desint uires,tamẽ est laudanda uolũtas:in magnis &uoluisse sat est.Dices fortassis,ut lepidus es, Quid tu scarabeus aquilam quæris? quidnã adeò acerbe,adeò acriter hæc inculcas,nunc in hæreticos,nunc in cortisanos, nũc in oppressores ecclesię calamum impingẽs? satis sudabis, si pergas hos lacessere. Iacta est alea profecto,haud temere tamen. Neque hic quempiam taxauerim, neq; mea refert si quis forte hoc uel illo morbo laboret. Quin ille potius seipsum iudicet & emendet. nos nõ in personam,sed in uitia inuehimur. Ipse uides ò lector, ut totus mundus in maligno positus est. Et mihi nunc facit indignatio uersus.

Tristis it & lachrymãs, q̃ribunda p arua, p urbes,
Pulchra Dice & comites,pax,alethia simul.
Spreta iacet ꝓbitas; pereunt sacra regna ueterno,
Victa iacet pietas,nunc modus omnis abest.
Deniq; quid dicam? uirtus intercidit omnis,
Et stygiæ Dirę cælica regna tenent.
Nec metus ullus adest, furit importuna tyrannis,
Deglubit tenues impius usq; cutem.
Auri sacra fames,& cæca philautia regnant,
Exulat atq; fides,exulat atq; pudor.
Simia nunc ostrum,ac onagri mysteria gestant,
Et canibus dantur sancta,suiq; sacra.
Curules agitant luxus,fastusq;,triũphosq;:
Io triumphe, modò dira cupido canit.
Vis armata furit, summum ius quæritur, æquum
Atq; bonum premitur,iura sacrata silent.
Ius,fauor,æs,odium,uis,imprudentia,turbant.
Legeq; nunc facilè soluitur omnis homo.
Omnia mercantur,sacra uænum exponitur ædes.

Et canis attractat sacra, pigriq; sues.
Quàm prostant animę paruo, quas sanguine Chrs
Asseruit, mortem pro quibus oppetijt?
Cælorum regno præfecti, somnia ducunt.
Nullus item fidei aut religionis honos.

Et ut cū Lactātio Firmiano loquamur, nil hodie tutum, nisi quod ui possideas. Adeò nūc oīs lex uelut antiquata recessit. Non ergo nos aspidis morsus habemus, qui uarijs morbis sua antidota parauerimus. Maloq; nodo malus, ut aiunt, est cuneus adhibēdus. haud ergo cruētus noster est stylus, sed lachrymarū plenus. Deum immortalē, q̄ties inter scribēdū calamū reieci? sed nescio quibus stimulis incitatus, q̄uis animus despōsus erat, diuino tñ fretus auxilio, illū iterū arripui, ut etiam me inuito hic noster libellus exciderit potiꝰ, q̄ ego sic in uulgus proderem. Sed pudorē uicit pietas, dum hanc immanis superat crudelitas. Inuitus ergo & dolens hæc effuderim. Ecquis enim hæc tanta scādala, uel nostra hac tempestate exorta, non ingemiscat, non fleat? Ah quàm gemenda, quàm sunt & flenda hęc secula nostra, quibus adhuc nostra memoria tanta mala ingruerint? Quæ, quando celando celari non possunt, utpote nimis publica, nihil est quod silentio prætereantur. Et fac me tacuisse hæc, non dubium quin lapides loquerentur. adeò nunc misera illa, hoc est, uirgo mater ecclesia, oppressa est amaritudine: adeò prostrata ubiq; iacet, & elanguescit illa decora sponsa, Christi sanguine quæsita. Hinc hæreticus in eā impingit, hinc cortisanus eam quanuis supra firmam petram fundatam, diruere machinatur: illinc & fili-

os eius tyrãnus opprimit,& nemo eſt q cõſoletur eam.Oẽs eam cõculcãt,q̃ſi deſerta eſſet à deo,qui tñ cũ ipſa manet in ęternũ.Id,inquã,me beat, ꝙ illã deus nunq̃ derelinqt. Si ergo deus ꝓ ea,qs contra eã? Ne totus quidẽ infernus ꝑfectò. Age nunc põtifex max. gregis ſibi cõmiſſi cõmiſereſcat,paſcat nũc oues ſuas q̃ fame peunt,diſperſos cõgreget agnos,& in hoc ſacro œcumenico nũc tandẽ indicto comitio,gregẽ Chriſti à lupis inuaſum recipiat. Qui diſpẽſator Chriſtiq́ꝫ uicarius almus.
Omnia clementer cælo terraq́ꝫ gubernans,
Singula diſpenſat,qui rex eſt atqꝫ ſacerdos,
Regibus in cunctis trifido diademate ſplendens.
Eminet, & primas tenet,& claues quoqꝫ regni
Cælorum geſtat,cui mancipio deus ipſe
Omnia regna dedit,uaſtus quæ continet orbis.
Quem penes om̃e decus,uirtus eſt atqꝫ poteſtas,
Quem penes imperij cæleſtis,ſummaq́ꝫ rerum.
Hic caput eccleſiæ,meritò cui militat omne
Imperium, transferre potens & iura miniſtrans.
Cuius item regnum ſtabili ſtat numine fixum.
Huic,inquam, & ſe iungat Carolus ille Cęſar, ut fidelis miniſter eccleſiæ, ut propugnator fidei, ut uindex pietatis,

Diuus & Auguſtus meritò qui dicere nobis:
Quem clari heroes circunſtant agmine denſo.
En ex iure manu confertum te uocat ille
Turca ferox,hunc ne metuas clariſſime regum.
Te deus armauit gladio, regnum tuearis
Eius,quod ſermo omnipotens euicerit,hoſte
Fortiter eiecto,quem deturbauit in umbras.
Aggredere ò ſummos ter maxĩe Cęſar honores,

Aurea fecla breui totum inuecturus in orbem.
Terram euince facram,poftliminioq; reuerfos
Affere captiuos,& ab alto credita regna.
Sed tutanda tibi pia Chrifti ecclefia luget
At foleris eam,fæuos difperde tyrannos,
Omnia commiffo tollentes & rapientes,
Qui tenues excarnificant,miferosq; trucidant.
Te manet omne decus,fafces,nomenq; perenne,
Iuris dicundi cui copia facta fupernè.

Ipfe quoq; Ferdinãdus rex Romanorum Chriftianiffim⁹, fanctæ ecclefię fuccurrat neceffum eft, fuoq; illi fratri fuppetias ferat,& impios tollat. Qui princeps tam optim⁹ quàm maximus,fuerit ftrenuus ecclefiæ uindex. Deniq; non deerit Reuerendiffimus D. Cornelius à Bergis Epifcopus Leodienfis.

Qui diuo Carolo præcenfor proximus adftãs,
Principibus cunctis eft maieftate uerendus,
Inter & heroas longe clariffimus omnes.
Confilio cuius tantus quoq; Cæfar ut Atlas
Mundum contorquet, uaftũ moderatus & orbẽ,
Auguftum regit imperium,dum iura miniftrat.

His ergo quatuor omnes Chriftiani principes aufcultẽt:ecclefiam inftauratam dicas. Quid multa? Si in ifta facrofãcta nunc indicta fynodo hæc à nobis exarata,difcutiantur & obferuentur,falua res eft. Et ne qfpiam demiretur obfecro,fi per me miferum peccatorẽ hęc dicta fuerint. Forte fic uifum eft fuperis, & interdũ olitor opportuna uerba loquutus eft. Quid ꝗ ipfe deus qui ꝑ afinã ali-
Num. 22 qñ uerba formauit,me in hęc ufq; tẽpora feruatũ, fortaffis huic rei deftinauerit?quo confundant im-

pij,quive generalem synodum morantur, quive tanto bono,atq; adeò totius reip. Christianę salu ti resistũt,dicẽtes,oĩa recte ordinata sunt, Et hoc uerũ profecto. At illa sic seruentur, & hæc scanda la hic commemorata,& nostra memoria inuẽta, auferantur:& quæ à tẽpore nouissimi concilij tur bata sunt,iterum in ordinẽ & ad concordiã redi- gantur. Cui rei tm̃ studeo, non q; ego solus uelim in medium adferre oĩa, & quinam id pstitero? sed ausam tm̃ pbuerim alijs pijs mẽtibus plura ac ma iora cogitandi,quæ ad resarciendã ecclesiã condu cãt. Equidẽ hoc qualecunq; sit munus in tẽplum dei obtulerim,illud dans quod habeo. Si quis aũt meliora pstiterit,nostrisve axiomatibus quid adie cerit,illius etiã uirtutem pdicabimus. E diuerso si qd iuste carpserit ademeritve,& id haud mali cõ- sulemus,sed interim ipse impiorũ partes agat ne- cessum fuerit,qñum neminẽ tñ hic taxauerimus,ni si qs hæretic⁹ insanos suos libellos in uulgus spar serit. Nec in aliquẽ cortisanũ,qñ multi boni sunt uiri,inuehimur,sed tm̃ malum inuentum execra- mur,quod & deus ipse & eius ecclesia detestatur. Nec deniq; in aliquos primores proceresve stylũ infiximus,sed ea tm̃ refefellimus,quibus Christia- na resp. deprimitur. Si quæ forte sunt dura auditu, duriora fuerint illa cum,non dicã in ecclesię,sed in diuino iudicio stabunt iusti aduersus eos qui se an gustiauerunt,& qui abstulerunt labores eorũ. Nec Sap.5. hoc uituperio dandum est mihi,q pietatẽ defen- derim,& petrã scandali dimouerim. Nec quis me temeritatis insimulet,q; tm̃ munus obierim, cum & dolẽs & inuitus id fecerim. Et certe necessarium

erat,unum aliquẽ fore qui tentaret illud, tum ueri tatẽ,tum iustitiã uindicaturus.Quod tñ nõ mihi, sed ab alio factum uellẽ. At uideo quasi oẽs huius rei desperatos,adeò turbata sunt oĩa,nisi deus suæ succurrat ecclesiæ, quod semp fieri solet in sacris comitijs. Ad quæ dum illa leuicula scandala olim referri uideo,ut est palã & passim legere,qd si hæc tanta relata fuerint in senatum ecclesiasticum? q̃ hæc acriter, q̃ acerbe obiurgata fuissent. Quod ego quoq; perpendẽs,me amplius continere non potui.Neq; ueritas diu latere potest,quin ipsa sese prodat,ui etiã sua interdum erumpẽs. Ne ergo impij in diuino accusentur iudicio,hæc nobis scri pta fuerint.Lenis ẽm & benignus est ille spiritus,
Ioh.16. qui arguit mundum de peccato,de ueritate & iudi cio,quod facere solet tanq̃ præses ecclesiæ Christi in sacris comitijs. deniq; ne quis & hoc mihi obie cerit,quid causæ cur durius cortisanos,atq; hære ticos tyrãnosve increpauerim,audi quæso breui bus quid sentiã.Non dubium profectò quin Romana ecclesia sit oĩm ecclesiarũ magistra, caput, columna,culmen & uertex.Ille'q; draco magister erroris,semp deo repugnans,regnũ eius inuadere & tenere,& sibi usurpare molitus est. At iam ipse à Christo foras eiectus,hoc unũ machinatur,ut & Alexandrina & Antiochena & Hierosolymitana & deniq; Constantinopolitana labefactata eccle sia,tandẽ Romanã quoq; ecclesiã uarijs erroribus implicitam corrumpat, quo stabili fundamẽto & petra unica subuersa,tota ruat ecclesia. At portæ
Mat.16. inferi non p̃ualebunt aduersus eã, manebit'q; illa immota in finẽ usq; seculi, Quare acriter illa de-

fendenda est ab omnibus iniurijs. Parui proin cu rauerim, si quis pestilens obtrectator, si cachinnator inuidia cõflagrans, mihi cum illo erroris magistro fortassis obganniat, mihi detrahat, malumve interminet. Hoc tñ ipse ingenue fateor, haud me satis esse latinum, qui talia scriberẽ. ueritas tñ facile seipsam tuetur, nec quicq̃ eá fortius, nec fuco uerborum indiget. Si forte quid usq̃ errauerim, id mihi donãdum fuerit, qñ & ego homo sum, & ideo errare possum. Quod te oro lector humanissime, si uel in aliquo à me dissentias, huiusce rei me certiorẽ facito. Qui licet inter Eburones agam, libentius tñ cedã ingenio meo, qui nulla in re pertinax fuerim, magis semp credẽs alterius, q̃ sensui meo. At uereor ne nõ fuerint q me nũc Thersiten, nunc Dauũ appellauerint, quasi interturbarẽ oĩa, q tñ id unũ egerim, uti cessent & hæreses & schismata, & mala uniuersa ab ecclesia dimoueant, ut tãdem tranqlla hæc gaudeat cõcordia. Cordatis ergo uiris has nostras lucubratiunculas placituras, improbis uero & liuidis displicituras esse non ambigo. Optima em̃ quęq;, ut ait Plinius, malũt contẽnere pleriq; q̃ discere. Ne qs ergo seipsum hic inuidia cõtabescẽs discruciet, neve qs ante tẽpus iudicet, neve qs censurã ecclesiæ temerè usurpet, cuius iudicio hæc oĩa solũ hic in mediũ collata sunt discutiẽda. Sed id me beat q̃d ait Ecclesiastes: Qui dissipat sepẽ, mordebit eũ coluber. Quapropter ò cãdide lector si qd hic erratũ est, tu id benigne corrigito: si qd dictũ bñ, nostrũ conatũ ꝓbato, & inuidos & semidoctos suis morib' relinqto, deũq; suæ bonitatis laudato. Nihil em̃ adeò dictũ bñ, q̃d criticus cẽsor nõ subuerterit. Vale lector hũanissime. Eccẽs 10



MAMBOR
LEGATORE DI LIBRI
CORSO 32